



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

1  
IO. IAC. SCHMAVSSII

CONSIL. AVL. ET IVR. P. P. O.

DISSERTATIONES

# IVRIS NATVRALIS

QVIBVS PRINCIPIA

NOVI SYSTEMATIS

HVIVS IVRIS , EX IPSIS NATVRAE  
HVMANAE INSTINCTIBVS EX-  
TRVENDI, PROPONVNTVR.



G O T T I N G A E ,

APVD ABRAM VANDENHOECK, ACAD. TYP.

ANNO MDCCXXXX.



IO. IACI SCHMAVSSII  
CONSIL. AVL. ET IVR. P. P. O.  
POSITIONES  
IVRIS NATURAE

---

PRAEFATIO.

Constitueram, praelectionibus publicis hoc aestivo semestri in Academia nostra instituendis, *Dubia Juris Naturae Illustris HOMBERGII*, qualibuscunque notulis meis illustrata, explicare, atque eum in finem libellum ipsum, ut Auditoribus copia ejus suppeteret, denuo typis committere. Sed accidit praeter spem, ut bibliopola, qui sumtus in hanc editionem suppeditare in se receperat, fidem falleret; cumque alius intra arctum temporis spatium, quo laborum academicorum initium ex lege nobis praescripta faciendum est, inveniri non potuerit, qui partui huic edendo obstetrices manus commadaret, rejiciendum esse in aliud tempus, & fuisse prorsus dimittendum propositum meum, facile peryidea. Ut vero aliqua saltem ex parte expectationi quorundam amicorum & commilitonum satisfacerem, qui Juris Naturae praecepta attentius scrutari potius quam discere cupiunt; tum quoque ut publice

)

con-

## P R A E P A T I O .

constet, eum me non esse, qui Jus Naturae omne inter inania nomina referat, quae malevolorum quorundam calumnia est; licet principia, hucusque a juris hujus doctis tradita, utique mera figmenta, & certo atque demonstrabili fundamento destituta esse, persuasum habeam: placuit, ex annotationibus meis, quas iteratae editioni Dubiorum Juris Naturae me destinasse supra dixi, summam systematis mei decerpere, atque in breves positiones ad exemplum Magni J.Cii Henrici Cocceji contrahere, recitationibus publicis deinde plenius explicandas. *Dab. Gotingae 7. Cal. Maji MDCCXL.*

---

### POSITIONES PAUCULAE

ET GENERALISSIMAE,

INSTAR

POSTVLATIVM,

NEXVM IVRIS NATVRALIS DEMONSTRANTES.

§. I.

**J**us, in nativo sensu acceptum, est facultas moralis, hominibus a natura concessa, libere & licite agendi.

§. II,

Cuius homini competit naturaliter:

1.) Jus vivendi, & quidem non misere, sed bene beateque.

§. III.

## POSITIONES IURIS NATVRAE.

### §. III.

II.) Jus praeferendi vitam suam vitae alterius, & commoda sua commodis alterius.

### §. IV.

III. Jus fruendi omnibus rebus creatis, ad vitae conservationem necessariis & utilibus, nec ab alio jam occupatis.

### §. 5.

IV. Jus utendi viribus animi & corporis ad suum commodum.

### §. VI.

V.) Jus tuendi conservandique vitam, membra & bona occupata, quae ad sustentationem vitae pertinent, & quidem cum caede etiam aggressoris violenti.

### §. VII.

VI.) Jus vindicandi se ab omni molestia & injuria aliorum, i. e. castigandi petulantiam atque proterviam insultantis; item a laedente damni reparationem, satisfactionem plenissimam, praestationem etiam securitatis ab omni laesione ulteriori, exigendi.

### §. VIII.

VII.) Jus aequalitatis & independentiae respectu omnium aliorum hominum.

§. IX.

VIII.) Jus actiones suas proprio arbitrio, non alieno iudicio, instituendi.

§. X.

IX.) Jus disponendi inter vivos de rebus a se iuste occupatis, & in quibus alteri non est jus quaesitum.

§. XI.

X.) Jus renunciandi omnibus istis beneficiis a natura concessis.

§. XII.

Inest animo cuiusvis hominis sensus aequitatis, quo agnoscit 1.) jura haec non sibi soli concessa esse a natura, sed aequae competere aliis & singulis hominibus.

§. XIII.

2.) Jura aliorum hominum non esse violanda, neque laedendum alterum, sed cuique suum relinquendum.

§. XIV.

3.) Ni id faciat, alteri aequae competere jus vindicandi, supra §. 7. decriptum.

§. XV.

4.) Aequissimam igitur esse regulam: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

§. XVI.

Inest porro cuique homini metus mali, quo

quo voluntas eius necitur, & impetus affectuum freno quasi & vinculo cohibetur & reprimitur.

§. XVII.

Inde oritur obligatio in animo hominis, quae fundamentum est iuris in altero sensu accepti, quo libertati hominis fines ponuntur, ne in aliorum injuriam erumpat.

§. XVIII.

Ex sensu igitur aequitatis naturalis (§. 12 - 15.) & metu vindictae alterius, qui laeditur, (§. 7, 14.) oritur jus obligatorium sive praeceptivum naturale, pacis atque tranquillitatis inter homines vinculum.

§. XIX.

Utrumque jus tam concessivum, quam praeceptivum, cum a natura producat, naturae vero auctor sit Deus, recte pro jure Divino habetur.

§. XX.

Qui Deum in hoc opere naturae tanquam Imperantem considerant, non inepte, praecepta juris Divini naturalis esse leges, proprie sic dictas, statuunt; quam sententiam ego tamen nunc in medio relinquo nec meam facio. Quoniam vero illa communiter fere recepta est, operae pretium videtur.



## P O S I T I O N E S

tur, nempe illius cum nostris principiis re-  
praesentatis, qua in re celeberrimi Cocceji  
positiones adoptabimus, in quantum pos-  
sunt cum nostris conciliari.

### P O S I T I O N E S P A U C U L A E E T G E N E R A L I S S I M A E I U R I S N A T U R A L I S E X H Y P O T H E S I N U M E R I P R A E C E D E N T I S.

#### §. I.

**O**mnis de jure quaestio eo refertur, quid  
*licitum* sit? Id enim *jus* dicimus. Ho-  
mines autem potentiis agendi a Natura in-  
structi licite agunt vel omittunt, quicquid  
possunt; donec aliquis, qui prohibere recte  
potest, prohibeat aliquid agi vel omitti; quo  
illud cum *illicitum* sit & *injustum* dicitur.

#### §. II.

In qua proinde quaestione duo distincta sunt.

1.) *Facultas* illa naturalis agendi, quae,  
quatenus non apparet rite prohibita vel re-  
stricta, est facultas legitima, & idem, quod  
vulgo dicitur, *Jus concessivum*.

2.) *Prohibitio* ejus, qui rite prohibere &  
terminos facultati huic ponere potest, quod  
vulgo dicitur *Jus praeceptivum*.

Ex illa *libertas*; ex hac necessitas agendi vel  
non agendi seu *obligatio* nascitur. §. III.

**§. III.**  
**Ius hoc prohibendi competit soli rerum Creatori, & cui is concessum id voluit.**

(Add. Haec itaque voluntas Creatoris unica norma est justitiae & injustitiae, quatenus voluit. Unde haec ipsa voluntas potest esse fons seu causa cum juris universalis omnium hominum, tum particularis, & certi populi, prout voluit: Uti voluntas principis est causa cum juris civilis communis, tum singularis seu privilegii. *§. 1. de Jur. natur. ibi: quoniam non hoc Princeps vult.*)

**§. IV.**  
**Voluntas autem prohibendi, vel permittendi, ut quaelibet alia, ostenditur vel ex verbis, vel ex rebus seu factis: Uti ex moribus & instinctibus intrinsicis in homine a natura conditis.**

**§. V.**

Hinc a natura concessa & constituta sunt:

I.) Cuique homini jus vivendi & quidem non misere sed bene beateque.

II.) Jus praeferendi vitam suam vitae alterius, & commoda sua omnimodis alterius.

III.) Jus fruendi omnibus rebus creatis, ad vitae conservationem necessariis & utilibus, nondum ab aliis occupatis.

IV.) Jus tuendi conservandique vitam, membra & bona occupata, quae ad sustentationem vitae pertinent, & quidem cum caede etiam aggressoris violenti.

VI.) Jus vindicandi se ab omni molestia & injuria aliorum, i. e. castigandi petulantiam atque proter-

viam

## POSITIONE. JURIS NATURAE.

viam insultantis: item a laedente damni reparatio-  
nem, satisfactionem plenissimam, praestationem et-  
iam securitatis ab omni laesione ulteriori exigendi.

VII.) Jus aequalitatis & independentiae respec-  
tu omnium aliorum hominum.

VIII.) Jus actiones suas proprio arbitrio, non  
alieno iudicio, instituendi.

IX.) Jus disponendi inter vivos de rebus a se juste  
occupatis & in quibus alteri jus non est quaesitum.

X.) Jus renuaciandi omnibus istis beneficiis  
a natura concessis.

XI.) Societas domestica & quae pariter inde jura  
ad singula membra permanens; suis quaeque locis  
tradenda.

Libertati huic naturalis sensus posuit summus legis-  
lator sensu aequitatis, cuius vis hominis animo indi-  
to, quo agnoscit:

1.) Jura haec non sibi soli concessa esse a natura, sed  
aeque competere aliis & singulis hominibus.

2.) iura aliorum hominum non esse violanda, neque  
laedendum alterum, sed cuique suum relinquendum.

3.) Ni id faciat, alteri aequae competere jus vin-  
dicandi, supra §. 3. n. 7. descriptum.

4.) Acquisitam igitur esse regulam: Quod  
tibi non vis fieri alteri ne feceris.

§. VII. Sensus iste aequitatis, mediante metu mali  
hominibus communi, in animo hominis producit obli-  
gationem naturalem; ex qua apparet voluntas Le-  
gislatoris obligandi & prohibendi, terminosque juri  
concessivo ponendi. Atque in ista voluntate Dei prae-  
ceptiva consistit actus ipse Legislationis, & forma

Legum Naturalium.

# PRAEFATIO.

**C**um in examinandis Illustris Hombergii, Icti acutissimi, Dubiis Iuris Naturae occupatus in errores plures, iam olim suspectos, accuratori studio inquirerem, atque naturam humanam eiusque instinctus, attentius quam vulgo solet, scrutarer, Magni Thomasi, Praeceptoris quondam mei, monita & vestigia secutus; deprehendi tandem, omnis, quae in hac disciplina occurrit, dubitationis ac disceptationis veram originem in eo latere, quod ius nobiscum natum, atque naturae nostrae indelebili ratione infixum, in intellectu atque ratione positum esse vulgo creditum, totumque pro dictamine rationis habitum fuerit; cum potius in ipso omnium actionum humanarum fonte, voluntate scilicet, conditum reperiatur, & a quovis homine, rem istam non ex praeiudicatis doctorum opinionibus, sed ex proprio sensu a natura indita, omnibusque hominibus communi, aestimante, facile agnoscat. Ex huiusmodi meditationibus enatae sunt Dissertationes istae, quas annotationibus meis in dubia Hombergiana subiungere primum animus erat; sed cum illas publicae luci exponere per bibliopolam nondum liceat, separatim edere consultum duxi, eo

potissimum sine , ut lectorum animos & sententias ante explorem , quam vel notas ipsas , vel systema ex his principiis proferam. Equidem adeo persuasum habeo , certa esse pleraque his dissertationibus proposita , ut propriam naturam vel non agnoscere vel dissimulare mihi videantur , qui ea negare voluerint. Sed in tanta veritati , inter homines ambiguitate & obscuritate , accidere fortasse potest , ut quae in animo meo ipso sensu vera esse percipio , aliis falsa appareant. Quoquo modo res eveniat , ego perinde habeo , ac si nihil scripsissem ; quippe qui nulli sectae addictus , nullos sectatores captare , vel discipulos in partes trahere studeo , neque ex ingenio , sed ex ingenuitate atque probitate omnem gloriam quaero. Dab: Gottingae a. d. XXV. Jun. MDCCXL.



DISSER-



DISSERTATIO I.  
DE  
INSTINCTU  
HOMINUM NATURALI.

§. I.

**N**aturam humanam sollicite & intime scrutandam esse iis, qui Juris Naturalis originem &, si qua sunt, praecepta cognoscere cupiunt, & ipsa ratio docet, & omnium Juris Naturalis doctorum monita firmant. Nam & antiquissimos Philosophos, & imprimis Stoicos, moralis disciplinae cultores praecipuos, constat, officia sua & honestatis omnem rationem a principiis naturalibus, omnium animantium communibus, deduxisse, & τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, prima quasi elementa naturae, primo loco cognoscenda esse,

A

ab

ab iis denique progrediendum ad ea, quae per *ἁρμοσίαν* five notionem convenientiae cum rerum omnium agendarum ordine & ratione humana colliguntur, praecepisse; quorum mentem Cicero & Gellius, & ex his succincte Grotius expressit, (\*) qui in examinando iure naturae primum censet videndum esse, quid illis naturae initiis congruat, deinde veniendum ad illud, quod post oritur, ex notione convenientiae rerum cum ratione humana, atque hoc *ius naturae primum* appellat.

### §. II.

Sunt in his Stoicorum placitis quaedam egregie dicta, & veritati valde consentanea; quaedam cum natura humana minus congruere ipsi Stoiei fatentur, & subtiliorem ea vocant, (\*\*). exploratioremque commodorum humanorum a corporis commodis disparem delectum; ex quo ortum est eorundem decorum & honestum, ac illa *ἀπάθεια*, qua tan-

[\*] de I. B. ac P. L. 1. C. 2. §. 1.

[\*\*] Gellius L. XII. C. V.

tandem deridiculos se non Philosophis tantum, sed omnibus sanæ mentis hominibus, præbuere. Erroris origo inde petenda, quod rationem non tantum a natura diversam finxerint, sed tanquam digniorem, vel invita natura sequendam esse decreverint, supponentes, eam esse rationis vim, ut ipsa naturæ humanæ principia vincat. Quæ sententia non tam Stoicorum propria, quam communis fere omnium Philosophorum, cum nostra ætate a summo naturæ humanæ scrutatore Thomasio erroris convicta sit (\*), ei confutandæ non immorabimur, sed insuper habentes, quid cuique ratio sua, præter naturam, pulchri commendet, quod sæpissime in maximam stultitiam definit, sola prima naturæ monita & instinctus homini inditos, qui non ratione sed sensu percipiuntur, hoc loco considerabimus.

## §. III.

Eo facilius autem non tantum hæc omnia exponi, sed & cuivis se probare poterunt

[\*] F. I. N. & G. L. I. C. L. n. 47. & n. 96. seqq.



runt, quod non longa argumentatione vel disputatione demum vera deprehenduntur, sed nobiscum orta atque nata, proprio cuiusvis hominis sensu percipiuntur, suntque adeo vera, ut, nisi quisque ea pro veris habeat, vel vera esse in se ipso sentiat, manifesto sit indicio, ea pro primis naturae humanae elementis habenda non esse. Neque unquam vel ullo ratiocinio vel ulla lege vel ulla violentia deleri poterunt, nisi hominem, ut homo non sit, vi effici posse falso sibi quis persuaderi patiatur, & idem simul esse & non esse posse pia simplicitate credat. Tanta vero vis est praeiudiciorum educationis & auctoritatis, ut quae nunc, adfueti decoro & honesto iustoque, ab hominibus varie invento, atque his praeceptis instituti, tanquam universalia principia recepimus, ea pro connatis facile habeamus; quae autem vere connata nobis sunt, plerumque tanquam turpia dissimulemus; ut saepe in hac tam manifesta re, quae sine ulla demonstratione assensum non elicere sed exprimere & extorquere apta est, opus sit, ex contemplatione naturae universae omnium animalium, vel ex actibus infantium, homines ratione pol-

pollentes & adultos docere, & eo manu quasi ducere, ut se ipsos agnoscant.

## §. IV.

Faciam tamen veritatum istarum pro meo quidem captu & sensu periculum. Et primum quidem menti se sistit ipsa hominis VITA, cujus conservandae studium adeo innatum cuivis est, ut omnia ad eam referat, atque ob id ipsum sibi adeo concilietur, ut nihil se ipso habeat carius, suamque vitam praeferat omnibus aliis rebus, quae sunt extra eum. Cuius rei ratio omnis in *iucunditate* posita esse videtur, quae ex vita percipitur. Neque enim sola vita sensu physico accepta, pro duratione corporis animati, quatenus ab inanimato distinguitur, hic incensum venit, sed quatenus voluntatem hominis afficit & vel grata vel ingrata est. Vitam enim infelicem, molestam & acerbam averfatur potius homo, & saepissime adeo quidem, ut maius bonum ei mors ipsa videatur, & miseri abrumpere eam, quam producere, malint. Igitur vita non per se bonum habetur, sed propter aliud,

A 3

quod

quod est ipsa vita gratius, nempe iucunditas. Ex quo manifestum est, hominem natura studiosum vitae, non qualiscunque, sed felicitatis tantum & delectabilis; factum esse. Quanquam enim vitam omnibus animantibus beneficii loco concessisse natura videatur, talemque feris brutis contigisse, appareat; eam tamen benignitatem homines in se non experiuntur, quippe qui soli omnium animantium ab instinctibus naturalibus recedunt, & plerumque ratione sua duce beneficiis a natura acceptis non contenti, dum meliorem reddere conditionem suam conantur, atque in hoc ipso praestantiores se omnibus animalibus esse sibi videntur, - revera longe sunt infeliciores, adeo quidem, ut, quod omnium mihi videtur maxime miserum, mortem ipsam saepissime vel sibi conciscant, vel optent.

### §. V.

Innatum igitur est unicuique homini studium propriae iucunditatis, utilitatis, commoditatis, ipsa vita potius; eique adiunctae quasi praesidii loco duae affectiones voluntatis

tis, *spes & metus*, quarum altera perpetuo boni appetendi instigatrix, altera avertendi mali index & custos est. Neque in hoc ulla homini libertas relicta est, sed necessitate interna bonum semper appetit, malum avertatur, malumque minus praefert majori. Quae cum ab aliis jam demonstrata sint plenius & imprimis a summo Thomasio, (\*) nunc iis longe deducendis superfedeo. De efficacia metus, indeque oriunda obligatione in mente hominis, & nos seorsim tractavimus, quae videri possunt *Dif- fert. III.*

## §. VI.

Tantam porro diversitatem esse ingeniorum in hominibus, ut in nullo eadem reperiatur voluntas, sed singulis infit non tantum a singulis diversa, verum in quolibet secum quasi pugnans, adeoque quemlibet hominem ab alio vel integra specie, vel certe voluntate, differre, nec sensum doloris & voluptatis singulis esse eundem, fute probatum

[\*] v. Thomaf. F. I. N. &amp; G. L. I. C. I. seqq

tum est ab eodem Thomasio. ( \* ) Ex quo consequitur, infinite fere variare hominum de bono, utili, iucundo & de vita beata & felici iudicia; quod itidem a Thomasio demonstratum est. (\*\*) Relinquitur ergo, vitam hominum beatam atque felicem, cum tota posita sit in iucunditate, ipsum vero iucundum pro cuiusque ingenio diversum & sibi saepius oppositum; generaliter definiri non posse; sed eam esse felicem vitam, quae cuique talis videtur, adeoque studium innatum vitae bene beateque transigendae in eo consistere, ut quis proprio suo arbitrio relinquatur, genioque suo indulgere possit quiete & imperturbate.

## §. VII.

Quae omnia cum assensum facile omnium impetrent, & in confesso sint, hoc tantum addere lubet, errare mihi videri plerosque, qui ex hac diversitate ingenii humani maximam inter homines oriri confusionem putant, & tantam, ut nisi norma i. e. lege caveatur, instar furiosorum sine vinculis libere inter se agentium ( quae Thomasio ad-

huc

[\*] F. I. N. &amp; G. L. I. C. I.

[\*\*] l. c. c. 3.

huc sententia fuit ( \* ) ) in mutuam caedem ruituri sint, atque sic ex instinctu naturali hominum oritur fit bellum omnium contra omnes. Mihi vero ipsa haec diversitas studiorum socialitatis omnis & commercii inter homines fundamentum esse videtur. Nam cum omnes lites inter homines inde oriantur, quod in eadem re, quam plures concupiscunt, concurrant; necesse est, si omnes homines a natura facti essent unius rei appetentes v. gr. omnes avari, vel omnes ambitiosi, ut alter alteri contrarius semper extitisset, neque unquam inter eos pax ulla coalescere potuisset. Neque enim avaro convenit cum avaro, neque ambitioso, cum ambitioso, quippe sibi soli quisque honores vel divitias omnes quaerit, socium non admittit. Neque si otio & voluptatibus omnes aequaliter, natura ita ferente, dediti essent, ulla officia invicem exhiberentur, & aequae in sociabilis vita foret, atque si omnes vel avari vel ambitiosi a natura facti essent. Contra vero, avaro & ambitioso, avaro & voluptuoso, itemque voluptuoso & ambitioso, bellicissime convenire & ratio & sensus & experi-

A 5

entia

[\*] F. I. N. &amp; G. L. I. C. 4. §. 1.

entia satis edocent. Per istam igitur diversitatem ab ipsa natura magis consultum humano generi arbitror, quam per leges, quae certe inter avaros, ut ne sibi omnia acquirere, vel inter ambitiosos, ut ne se aliis praeferre, vel inter voluptuosos, ut ne otio nimium indulgere, sed officiosi esse velint, sive quod idem est, ut avari non sint avari, ambitiosi non sint ambitiosi &c. frustra & inaniter feruntur. Ex eadem ratione in quolibet homine diversarum propensionum mixturam natura formavit, ut vehementia unius affectus altero temperaretur, & tum singulorum tum omnium vita foret tranquillior.

### §. VIII.

Quod dictum est, propriam quemque utilitatem praecipue sequi, & ad se ipsum omnia principaliter referre, neque alteri sed sibi studere; eo valet, ut intelligamus, hominem factum a natura non esse alterius causa, nisi secundo, neque ad commune bonum plurimum, nisi in quantum sua propria utilitas eo continetur; verumque esse hoc sensu-

fu, quod ab Hobbesio traditur, societatem omnem humanam primario proprii commodi causa non sociorum amore contrahi. Infociabilem vero inde hominem, & ineptum plane ad societatem factum esse natura, nimis praecipitanter concludit Hobbesius. Ea enim vera societas est, ubi par utriusque conditio, neque commune bonum aliud quam quod ad singulos socios redundat, & cujus singuli sunt participes. Quod ad unum aliquem ex societate spectat neque singulis impertitur, non commune, sed leonis & tyranni bonum est, atque ad talem societatem natum non esse hominem ultro largior; sed abhorreere potius ab ista societate, nec nisi violentia summa vel metu extremorum malorum contineri in ea posse, quin nec mortem ipsam magis saepe metuere.

#### §. IX.

Non minus errare Hobbesius mihi videtur, cum naturalem inesse hominibus laedendi voluntatem statuit; eam enim neque in avaro, qui rerum quidem copiam quaerit, sed ex sola laesione hominis nullum lucrum capit; ne-



neque in ambizioso, qui generosus potius erga alios a natura factus est, deprehendo. Ad sensum cuiusque internum hic provocare liceat; & puto, neminem fore, qui in statu libertatis naturalis extra omnem societatem constitutus, & homini alicui neque beneficiis neque iniuriis sibi cognito & peregrino, a quo nec laessitus est, nec sibi metuit, obviam factus, simul ac eum conspexit, proclivitatem in se sentiat, istum hominem interficiendi, vulnerandi, vel alio modo laedendi. Potius aliqua benevolentiae signa, si nihil a se invicem metuant, sibi exhibituros utrosque, vel saltem indifferentes fore, & nec ad benefaciendum nec ad laedendum aliquem in se conatum senturos; quin si alter casu aliquo in miserabilem statum delapsus inveniatur, misericordiam excitatum iri puto, quippe quae & in infantibus cernitur & nobiscum nata videtur; ex quibus omnibus satis apparet, magis ad benevolentiam factos esse natura homines, quam ad odia vel aversionem; ad laesionem certe natura sua minime proclives esse. Neque tamen inde generaliter inferri potest, ad societatem cum aliis hominibus quibusvis, et-

etiam ignotis, ineundam naturam hominem compelli. *Causas enim* (ut vere Hobbesius [\*]) *quibus homines congregantur, & societate mutua gaudent, penitus insipientibus facile constabit, non ideo id fieri, quod aliter fieri natura non possit, sed ex accidente. Nam si homo hominem amaret naturaliter, id est ut hominem, nulla ratio reddi posset, quare unusquisque unumquemque non aequè amaret, ut aequè hominem; aut cur eos frequentaret potius, in quorum societate ipsi potius quam aliis defertur honor & utilitas. Non socios igitur sed ab illis honore vel commodo affici, natura quaerimus; haec primario, illos secundario appetimus. Igitur naturaliter in nobis deprehendimus ergo alios homines nondum nobis cognitos indifferentem animi habitum, quo neque officia eis exhibere neque eos offendere studemus, magis tamen bene ipsis quam male cupimus. Ex conversatione demum morumque similitudine vel alia utilitatis, iucunditatisque ratione oritur mutua benevolentia, atque societas; nondum tamen amor verus, nisi ex multis benevolentiae documentis familiaritatisque longa*

[\*] *De Cive C. I. n. 2.*

longa consuetudine. Et mirabilis hic iterum animadvertitur naturae providentia, quae propensiones hominum tam diversas inter se & infinite varias ob id ipsum formasse videtur, ut nunquam cuiquam desit alius, quocum sibi bene conveniat, quemque non aptum inveniat ad amicitiam secum colendam.

### §. X.

Insigne benevolentiae hominibus innatae documentum praebet tum inter diversum sexum intercedens propensio, tum parentibus, & matri praesertim, infixus amor prolis, & reciprocus amor parentum in infantibus; qui affectus omnes pari ratione etiam reliquis animantibus a natura inditi conspiciuntur, & conservationis atque propagationis eorum causa sunt & principium. Miranda hic etiam naturae sapientia, quae sexum diversum formavit & utrique amorem erga alterum insevit, non fortuitum vel ratione demum excitandum, sed ex feminis abundantia, quae ex digestionibus ciborum naturaliter gignitur, mechanica necessitate oriundum & adeo vehementer sollicitantem, ut libido cohiberi etiam extre-

mis

mis legum civilium poenis capitalibus nequeat, sed potius nefanda crimina excogitentur, ad eam satiandam. An ulla lege, pacto, imperio, firmitus benevolentiae mutuae inter homines introduci potest vinculum? Ex hac naturali, inter homines diversi sexus conjunctione nascitur proles atque simul tanta parentum dilectio & cura eius, ut neque ista arbitraria, sed iterum necessitate mechanica impressa videatur. Quippe lactis abundantia naturali ratione in matre generatur, eamque cogit, ut nisi mammas infanti praebeat exsugendas, magno incommodo afficiatur. Et infantem vicissim vel ipsa fames & fitis premit, ut sentiat, sine nutritione matris sibi pereundum esse, eundemque non minus mechanice ad reciprocum amorem impellit. Atque ita ex ipsis naturae humanae incunabulis exortam vides atque hominibus omnibus infixam & prementem summam in homines aliquos benevolentiam, nullo unquam praecepto vel monito indigentem, nec aptitudinem tantum ad societatem vel sociabilitatem, sed ipsam actualem societatem domesticam, omnium aliarum societatum, & vinculi totius generis humana-

humani fundamentum, ab ipsis naturae elementis, non in hominibus tantum, sed in omnibus animalibus, constitutam, atque omnem rationem humanam antecedentem, longeque vincentem.

### §. XI.

*Irritabiles* autem ad laesionem aliorum factos esse a natura homines, experientia non minus manifestum facit. Atque id exinde provenire videtur, quod vehementissimum homini studium incit, conservandi se, vitam, corpus, membra, omniaque bona, quibus vita sustinetur & iucunda redditur. Ut igitur homo sibi caveat ab omnibus malis, quibus ista bona destruuntur vel laeduntur, non tantum metum natura ei indidit, sed ne forte metu isto deprimeretur, eoque laesio facilis hosti redderetur, ipsi metui quandam quasi audaciam, impatientiam & iram adiunxit, qua occurrere & resistere omni laesioni, & quam primum se laesum sentit reparare damna seque omnino illaesum praestare & vindicare ab omnibus iniuriis quovis modo conatur. Hoc vero munimento vita hominis demum secunda facta est. Quip-

pe

pe tanta vis legis nullius unquam foret, quanta metus vis est ex vindicta laesivae, ne reparatione quidem sola damni contenta, etiam ultra tendit, & poenae quasi meritum deposcit, iudicis alicuius naturalis instar, qui in laesione non damni tantum sed etiam delicti rationem habet. Itaque non prius satisfactum sibi laesus de laesione existimat, quam vel poenas luerit, vel veniam petierit impetraveritque hostis, etiam post damni resarcitionem plenissimam. Aliter certe vita hominis salva nunquam foret, neque totum genus humanum servari posset. Tantum igitur abest, hoc studium se conservandi & tuendi ab omnibus iniuriis, bellum omnium contra omnes excitare, vel humano generi exitium creare.

## §. XII.

Sed isti malo ulterius natura providissima prospexit, *aequalitate* inter omnes homines constituta; non quidem virium corporis singulorum hominum inter se, in quibus infinita fere inaequalitas deprehenditur, & in ipsa hac inaequalitate singulorum admi-

B

ra-

rabilis sapientia. Ea enim quisque adigitur ut alterum metuat, & absteat a laesione alterius, pacemque colat. Sed aequalitas a natura inter homines introducta reperitur, tum in viribus corporis & animi plurium imbecilliorum, quin & unius astutioris cum uno robustiore comparatis, tum in aequalitate & similitudine instinctus naturalis, qui in omnibus hominibus, quantum ad studium se conservandi ac defendendi contra laesionem attinet, idem est; tum in aequalitate iuris atque libertatis naturalis, qua omnes homines ab imperio & dominio aliorum exempti sunt; qua aequalitate id efficitur, ut, si quem dominandi aliis libido vel laedendi alios incedat, aliis idem in ipsum licere, idemque sibi ab illis metuendum esse sciat, sentiatque. Et haec causa est modestiae naturalis. Quisque enim primum in se ipso indignationem, iram, vindictae cupiditatem sentit, quoties laeditur ab alio; queritur igitur de iniuria sibi illata; nec quiescit, donec ipsi satisfactum sit. Sed eandem animi affectionem in alio, qui aequo homo est, & aequo iure gaudet, & aequalibus nocendi viribus, sive solus sive auxilio aliorum instructus

structus est, deprehendit, & facillime conii-  
 cit, quoties alterum laedit, illum ex inia-  
 riasibi illata eandem indignationem, odium,  
 vindictam, quibus ipse uritur, concepturum  
 esse. Ex hac igitur contemplatione aequa-  
 litatis naturalis in quovis homine, oritur a na-  
 tura impressus *sensus aequitatis* & iniquita-  
 tis naturalis, quo quisque ex sensu commu-  
 ni & ratione naturali, sine arte vel ratio-  
 cinatione longa agnoscit, aequalia aequali-  
 bus esse tribuenda, & ut Hobbesii recte hic  
 iudicantis verbis utar: (\*) *quaecunque iura*  
*unusquisque sibi met ipsi postulat, eadem et-*  
*iam unicuique ceterorum concedenda esse;*  
 & iniuriam fieri alteri, nisi haec aequitas  
 observetur. Ex quo elucet, veritatem re-  
 gulae Juris Naturalis, quod praeceptivum  
 appellari non incommode potest, funda-  
 mentalis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne*  
*feceris*, non ratiocinatione tantum intelligi,  
 sed intimo atque innato sensu cuiusque ho-  
 minis percipi & firmari.

### §. XIII.

Huius porro connati sensus aequitatis do-  
 cu-

[\*] de cive c. 7. §. 14.



cumentum haud exiguum est pudor naturalis, qui ex facto, quod indignum homine honesto atque aequo videtur, simul ac commissum est, oritur; quemque comitatur *penitentia*, qua ipsi detestamur actiones malas a nobis perpetratas, & poenas quasi ferimus, vehementissimis subinde doloribus cruciati, neque tranquillitati prius restituendi, quam laeso satisfactum sit, nosque hoc medio cum illo in gratiam redierimus. Quae in re natura ipsa hominis iudicis incorruptibilis & aequissimi vicem subit, qui propriis actionibus iniustis minime indulget, sed quemadmodum iracundia atque vindictae stimulis iniuriam aliorum avertere atque repellere conatur, ita eadem aequitatis ratione cavet, ne, si limites iustae vindictae excefferimus, alter ultra meritum puniatur, sed damnus potius iniuria datum a nobis refarciatur.

#### §. XIV.

Quae haftenus dicta sunt, quilibet in se ipso interno sensu deprehendit, nec ad ea cognoscenda longa argumentatione opus habet; antecedunt enim omnem ratiocinationem,

&c

& assensum rationis non adulantur sed necessitate quadam exprimunt. Ad prima humanae naturae elementa igitur sunt referenda, nec humanae solum, sed plerorumque fere animantium, quantum quidem horum natura nobis cognita est. Quin & tanta necessitate atque vi naturali indita haec sunt hominibus, ut, quam diu liberi relinquuntur ab externa violentia, nec a ratione seducuntur, non possint non secundum instinctus agere, & in eo ipso ponant summam vitae suae felicitatem; dolere vero incipiant, & miseram suam conditionem agnoscant, & sentiant, quam primum coguntur vim facere voluntati & appetitioni suae naturali, aliamque vitae rationem sequi; ac tandem desperatione omnis recuperandae libertatis, vivendi secundum naturam suam, mortem ipsam huiusmodi vitae, naturae suae repugnanti, praeferant. Et haec vera causa est querelarum de miseria vitae humanae, quae certe incognitae sunt statui libertatis hominum naturalis. Extrema igitur violentia opus est, neque illa fere satis efficax, ut supressis motibus naturalibus homines ad aliam normam actiones suas instituant.

## §. XV.

Quod autem hic vi aperta & externa peragi vix potuit, id dolo effectum est; eiusque rei facilem homines in ipso homine invenere viam, corrumpentes ipsum vitae atque naturae humanae custodem atque vigilem, a natura providentissime homini adiunctum, prudentem quidem, & sanum, sed maxime corruptibilem & corruptionis suae ipsius autorem. *Rationem* nempe natura menti humanae indidit, tanquam oculum corpori, quae intelligere, quae sibi conveniunt, quae laedunt prospicere & cavere homo possit; sed adeo curiosam, & ne in dormientibus quidem quiescentem, & perpetim vigilem & negotii plenam, ut etiam, quando consiliis eius non opus habere, sed tranquille satis ac feliciter, solo naturali instinctu duce, vitam transigere posse videmur, illa otii atque tranquillae vitae quasi impatiens & pertaesa, & ipsa natura superior & sapientior sibi visa, vel inveniat infinita fere artificia, quibus hominem a naturali vitae simplicioris praestantia & dulcedine abstrahat, vel credulitate sua facillime decipere se ab aliis, patiatur. Hinc tot praecleara

clara ( si diis placet ) Philosophorum atque sapientum motha, praecepta, regulae, quibus omnibus aperte id agitur, ut persuadeatur hominibus, eorum, quae sunt prima naturae, nihil propter se expetendum esse, ne multa turpia sequantur; sed multo pluris aestimanda esse, quae ratione intelliguntur, honestum scilicet, ex suo ingenio effectum, quod solum bonum appellant, solum propter se expetendum, solum, quod vitam humanam beatam reddat. (\*) Haec in primis Stoicorum Philosophia fuit, ad vanitatem omnis comparata, & ad splendendam & ambitiosam homini miseriam conciliandam, commendata quidem non antiquis tantum, sed & recentioribus plerisque, in primis hypocritis, re vera autem, si a religione & a civilis societatis ratione praescindatur, stultissima.

#### §. XVI.

Summa eorum, quae haecenus dicta sunt, eo redit: Ut vita humana non tantum a singulis suaviter & feliciter transigatur, sed  
ut

(\*) Cicero de Finib. L. 3. C. 5. 6. 8.

ut societates etiam inter homines coalescant, in illisque pax & tranquillitas vigeat, ipsam naturam per instinctus cuius homini inditos satis prospexisse; eoque vel ipsam, quae inter homines eorumque propensiones reperitur, miram illam & fere infinitam diversitatem tendere; iuris porro & aequitatis custodem ipsam vindictae cupiditatem & aequalitatis sensum constitutum esse; eaque omnia tam alte infixae menti atque naturae humanae esse, ut nullo alio monitore, nulla lege, nullis praeceptis opus sit ad homines in ista felici conditione conservandos; quin & tantam vim naturalibus instinctibus inesse, ut omni lege contraria superiores sint, nisi haec externa violentia muniatur, quo, intentatis poenis capitalibus aliisque malis extremis, illis reprimendis par fiat,

DIS-

DISSERTATIO II.  
DE  
RATIONE HUMANA.

§. I.

**D**ictamen rectae rationis ipsas leges esse naturales, & Scholastici & recentiores fere omnes statuunt, licet diversimode. Illi enim rationem humanam scintillam sanctitatis divinae, & iustitiae divinae quasi conditorium esse, & dictata rationis pro iustitiae divinae dictatis seu legibus habenda, adeoque legem naturalem rationi humanae cum ipsa conceptione & formatione in utero humano infundi & connasci docuerunt. Hi vero non aliter intelligendum esse quod vulgo dicitur, natura notas esse leges divinas, putant, quam quod per lumen rationis facile investigari possint, eique adeo inhaereant deinde, ut nunquam iterum deleri queant. Utrique vero, dictamina rationis universalia & in omnibus hominibus eadem reperiri; totum genus humanum, tanquam Leges divinas, obligare, & immutabilia esse, con-

sentiunt. Quae num vera sint, ex his, quae de ratione humana in medium proferre constitui, fortasse aliquo modo colligi poterit.

### §. II.

Per rationem intelligo eam hominis facultatem, qua *cogitat* sive cognoscit & intelligit, quaeque a voluntate & a sensibus distinguitur. Et certum quidem omnino videtur, facultatem ipsam cogitandi, sive aptitudinem ad cogitandum, nobis connatam aequae esse, ac voluntatem & sensus. Sed num ipsa actualis cogitatio, quae ab ideis oritur, easque componit & distinguit, sicque ad propositiones integras progreditur, cuius homini cum ipso vitae primordio insit, sive an dentur ideae & propositiones vel theoreticae vel practicae innatae? disputatum est inter Cartesianos & eorum adversarios. Mihi videtur, celeberrimi Lockii opera huic controversiae finem impositum, neque dubium esse amplius, nullas dari innatas neque ideas neque propositiones, sed omnem rationem humanam esse cognitionem acquisitam. Scilicet cum primum infans ex ute-

ro maternó in mundum protruditur, sensuúm externorum beneficio primas sibi format ideas, confusas primum & obscuras, sed pededentim, & obiectis pluribus repraesentatis, vel saepius recurrentibus, clariores & distinctiores; tum vero usu sermonis inprimis accedente, ex aliorum hominum relatione & doctrina, uberiores & ideas & propositiones, sed utrasque nec veras semper, nec certas, nec satis distinctas, sed plerumque imperfectas & erroneas. Ex ista igitur experientia, tum propria, quae ex cuiusque sensibus oritur, tum aliena, quae aliorum fide & persuasione nititur, omnis nostra cognitio provenit, estque adeo non connata, sed vario longoque usu acquisita. Ratio igitur humana *naturalis* appellari meretur, non quod ipsi naturaliter inhaereant notiones, eique cognitae sint & innatae propositiones veritatesque, sed quod homini, in ipsa sua formatione, natura facultatem, potestatem & aptitudinem indiderit, mediante sensu & experientia, postquam editus est in lucem, successive acquirendi cognitionem, tam veram quam falsam, recipiendique veritates & errores.

## §. III.



## §. III.

Quod attinet ad veritates intelligendas, perpaucas ipse suis sensibus comprehendere potest, nec nisi in rebus sibi obviis, & quae sunt ante pedes positae, quasque manibus quasi palpat & ita esse, quales sibi intrinsece repraesentantur, ipsis sensibus sic satis convincitur; quanquam cum sensus quandoque fallant, & obiectorum distantia, & aliae quaedam circumstantiae impediunt, nec in his semper de veritate certus esse possit. Quas vero ex hac intuitionem & contemplationem obiectorum porro infert conclusiones, non sunt, nisi *coniecturae*, quarum probabilitas augetur vel minuitur, quo propius vel longius absunt a sensatione, tanquam primo omnium cognitionis principio, & experientia ulteriori vel confirmari vel destrui cuique videntur; veritas autem nunquam vel rarissime certo erui potest, ideo quod sensus eam non percipiant, nec in intimiora rerum penetrare liceat. Et cum homini soli, in statu extra societatem viventi, pauca fere obiecta repraesententur, quae sensibus suis tractare queat, & experientia propria non ultra

tra ea, quae quotidie ipsi occurrunt, & quae cognoscere suae conservationis & utilitatis interest, se extendat, rationem huius hominis naturalem ab intellectu, qui animalibus brutis inest, parum differre quoad veritates, & vix praestantiorum fore, verisimile videtur. Utrorumque enim cognitio ex sensibus cuiusque oriretur tantum, & cum ea sola, quae sensibus percipiuntur, certo vera sint, reliqua pleraque vix probabilia, cognitio veritatum eadem fere tam in homine quam in brutis foret.

#### §. IV.

Quod amplior sit cognitio hominis quam brutorum, soli *sermoni* tribuendum est, quo mediante cum aliis hominibus ideas suas & propositiones, suis sensibus haustas, communicat, eorumque cognitionem, sensibus & experientia longoque usu perceptam, sibi vicissim acquirit, & ea tanquam sua propria utitur, unam cum altera confert & quo plus ex aliorum hominum relatione vel scriptis discit, eo latiorrem atque diffusiorrem cognitionem assequitur. Itaque tum demum ratio humana brutorum

torum intelligentiam superare incipit, & plures notiones vel propositiones, quam propriis sensibus percipere ei licuit, cognoscit, sed nec omnes sibi utiles vel necessarias, nec nisi sola auctoritate fideque aliena subnixas, quin & errores pro veritatibus accipit, & veritates ipsas a se cognititas deserit, imo, quod vix credibile foret, nisi experientia nimis manifestum redderet, de rebus in sensus externos incurrentibus, & quas palpare quisque potest, sibi persuadere patitur falsissima quaeque, prorsus ut dubium sit, num quod beneficium homini per sermonem a natura prae reliquis animantibus concessum est, hac parte homini magis proficuum sit, quam noxium; neque videatur homini ideo datum esse, ut pluribus rebus cognoscendis inveniendisque veritatibus inserviat, sed ad alios potius vitae humanae usus.

#### §. V.

Id inprimis notari meretur, omnem cognitionem hominis, tum quae a cuiusque sensibus & experientia oritur, tum quae ab aliena acquiritur, iis fere plerumque limitibus

bus finire, quibus cuiusque patria vel societas, in qua degit, circumscripta est. Quo fit, ut de rebus iudicet plerumque ex iis principiis, quibus vel educatione vel institutis civitatis imbuitur, idque solum iustum, honestum & decorum habeat, quod moribus, quibus a puero assuevit, convenit. Ita Cornelio Nepote referente, Atheniensium summo viro Cimoni turpe non fuit, sororem germanam habere in matrimonio, quippe cum cives eius eodem uterentur instituto; at id Romanorum moribus nefas habebatur. Ita etiam apud eas gentes, quarum legibus unam tantum uxorem ducere licet, polygamia pro crimine habetur, quae apud alias tanto pretio fuit, ut in beneficium Dei imputaretur. Gloriosum porro apud multas gentes habitum fuisse latrocinium in gentes alias, & adhuc haberi, notissimum est, & exemplis quamplurimis probavit Jac. Thomasius (\*) qui id addit, quasdam gentes Deos ipsos latrociniorum praesides sibi finxisse; alias lege publica in Dei nomine praedari iussas, &

prae-

(\*) Obs. Hall. VII. 6. 7.

praedaturos ferventissime orasse. Quid de cultu Numinis dicam? cum constet, Aegyptios, sapientiae laude inter antiquos eminentes, res minimi pretii & animalia vilia coluisse pro diis; & hodiernum plerasque gentes idololatriae deditas esse. Alia exempla plura congeffit Lockius supra iam laudatus. Ex quibus omnibus conficitur, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari; & cum a puero ex vitae civilis disciplina eorundem sensu imbuamur, & vero recordari non possimus id tempus, quando primum eadem hauserimus, non aliter de ea cognitione nos cogitare, ac si illa nobis nascentibus iam adfuissent. (\*)

#### §. VI.

Ratio igitur humana, non eadem est in omnibus hominibus, sed pro gradu cognitionis, tum propria tum aliena experientia acquisitae, longe diversissima, & tam veritatis susceptibilis quam erroris, adeoque ad normam aliquam universalem minime apta, ad cognoscendas autem veritates certas, (si  
paucas

[\*] Verba sunt Pufendorfi de O. H. & C. L. I, C. III. §. 12.

pauca admodum exceperis, sensu inprimis percipiendas, vel ex sensatione proxime resultantes, ) plane incapax; ideo, quod rerum omnium essentiae non patent sensibus hominis, & quicquid cognoscere vel conii-cere licet, a posteriori tantum colligitur, id est, postea quam sensatione perceptum aliquid est, a priori vero nihil; in eo tantum praedicanda, quod post indefessum studium ac attentissimam meditationem errores aliquos detegat quandoque, veritatem vero substituere certam vel plane non valeat, vel rarissime; arctissimisque adeo limitibus circumscripta. Nec tamen in hoc ullam humanae naturae imperfectionem vel infelicitatem agnosco. Homo enim ad essentias rerum creatarum intuendas & ad nexum totius naturae eruendum natus non est, sed ad suam tantum vitam integram servandam et bene beateque transigendam. Ad consequendam istam felicitatem natura ipsa sufficientissime homini prospexit; & ei indidit infixitque instinctus motusque voluntatis internos, qui omnes eo tendunt, ut se conservet; addidit quoque sensus externos, boni malique indices, & internam confide-

C

rationem

rationem, memoriamque tenacem, & ratiocinationem, quibus pro rerum circumstantiis salutem suam, voluptatemque & conservare & promovere aptus est. Itaque natura homini humanisque instinctibus adiunxit rationem tanquam servam vel custodem salutis, vel, si mavis, tanquam ducem, consiliarium, monitorem, comitem perpetuum, viam atque mediae felicitatis atque iucunditatis vitae investigantem, & malis ac incommodis remedia suppeditantem. Haec si auxilia ratio homini praestet, sufficiens mihi videtur; pluribus certe non indigemus. Quid enim nostra refert, quae nam natura sit lapidum, metallorum, conchyliorum, piscium, insectorum &c. quis aëthrorum cursus, quae magnitudo, quis nexus, finis &c.? Otiosorum potius hominum, & sui negligentium & aliis incommodorum, est talibus occupari; nec in statu naturali, quo quisque proprio labore, non alieno errore, victum quaerit, iis immorari facile licuisset. Imperium civile Deus ille est, qui eruditis haec otia fecit.

#### §. VII.

Cum igitur rationis omnis verus usus in  
eo

eo consistat, ut inserviat voluntati hominis, haec vero voluntas in singulis hominibus reperitur adeo diversa, ut in nulla fere re singulari appetenda conveniant exacte propensiones humanae; atque ea demum vera cuiusque hominis felicitas sit, ut ex propria sibi que innata indole, & suo sensu, arbitrio & lubitu vivere possit imperturbate; necessarium fuerat, rationem in quolibet homine formari diversam ut, pro diversa cuiusvis indole, diversa consilia suppeditare atque quam commodissime inservire genio domini posset. Diversas enim normas, cautiones, regulas, praeceptaque requirunt diversa hominum studia, ut ne pro felicitate, quam appetunt, malum incurrant. In omnibus igitur, quae propriam cuiusque hominis voluntatem tangunt, norma quidem ratioeinationis cuiusque est, sed omnia ex mensura propriae utilitatis & voluptatis componens; tanquam consiliarius, qui neglectis aliorum commodis, & insuper habita iuris ratione, omnem curam operamque ad conservandam & augendam principis sui potentiam impendit. Non veritates itaque, sed utilitatem propriam quaerit ratio, quotiescunque de re agitur, in qua sua



aliquid interesse putat. Quod si veritas cum utilitate propria consistit, multa ostentatione veritatem solam, dissimulata utilitatis propriae ratione, praedicat; si discrepat, multis artificiis errores pro veritate venditat, hominique ipsi saepe adeo imponit, ut quae cupit, veritati & iustitiae consentanea esse facile ipse credat, erroremque suum pertinacissime tueatur; utilitati scilicet unice, non autem veritati, nisi dicis causa, intentus.

#### §. VIII.

Caeterum ubi peculiaris ratio propriae utilitatis non intervenit, & ubi voluntas in neutram partem, neque odio neque amicitia mota, se inclinatur, ratio, libera quasi a servitute voluntatis, veritatis cognoscendae aptior omnino videtur, & his casibus conformis est in pluribus hominibus, qui eundem gradum cognitionis adepti, vel iisdem principiis imbuti sunt. Dantur etiam quaedam appetitiones, omnibus hominibus communes, v. gr. quod famem sitimve depellere, summam ignominiam, dolores corporis & omnem laesionem amoliri, feliciterque

citerque diu vivere cupiant. (\*) In istis non minus ratio humana facile in plerisque hominibusprehenditur eadem, agnoscitque veras omnes illas propositiones, quae huc faciunt, generales. Ut adeo sint utique, in quibus ratio plerorumque hominum conveniat, tam varae opiniones quam erroneae; sed longe plures dentur, in quibus non integri solum populi a se invicem discrepant, sed in quovis populo singuli fere cives.

### §. IX.

Ut igitur in summam contraham, quae haecenus dicta sunt, ratio humana, generatim sumpta, est cognitio hominum non innata sed diversimode acquisita, & tam veram quam falsam susceptibilis & tenax, adeoque sua natura inepta, ad universalia & certa principia veritatis moralis stabilienda. Est porro in paucissimis propositionibus eadem in singulis hominibus; & voluntati cuiusque servit potius quam imperat; neque veritatem, sed solam cuiusque utilitatem, curat, & in hac ipsa utilitatis ratione saepissime turpiter errat, decipitur, ac decipit,

C 3.

atque

[\*] v. Thom. Fund. I. N. & G. L. I. C. I. § 121. sq.

38 *Dissertatio II. De Ratione humana*

atque sibi nimium indulgendo, quo longius ab instinctibus humanae voluntatis recedit, eo minus veram hominis utilitatem promovet, sed instar corrupti vigilis hominem proditorie deserit, eiusque conditionem, quae felicissima foret si secundum naturae instinctus viveret, ipsa sua ratiocinatione reddit miserrimam.

§ X.

Quale momentum in obligatione animi humani ratio habere mihi videatur, dixi in dissertatione de natura & origine obligationis naturalis.



**DIS.**

DISSERTATIO III.  
 DE  
 ORIGINE ET NATURA  
 OBLIGATIONIS MO-  
 RALIS ET LEGALIS.

§. I.

**C**um leges instar normæ atque regulæ sint subiectis, ad quam actiones suas instituant, & legislatorum scopus, ut subditi obligatos se vinculo quasi sentiant, legibus obtemperare; quoniam absque hoc interno sensu inanis est omnium legum dispositio; cognitu non tantum utile sed vel in primis necessarium est, qua ratione vinculum illud morale animis hominum iniiciatur, atque voluntas humana obligetur, & cogatur, ut actus suscipiat non pro arbitrio suo; sed pro imperio Legislatorum.

§. II.

Istud vero omne aliter evolvi non potest, quam inspecta indole atque natura voluntatis humanæ, quæ fons est præcipuus actionum

40 *Dissertatio III. De Origine & Nature*

humanarum. Et constat, ab aliisque iam observatum est, tanto nisu voluntatem cuiusvis hominis naturaliter ad id tendere, idque appetere, quod gratum ipsi videtur, & depellere atque amoliri quod ingratum & molestum est, ut ne quidem liberum ei sit, aliter agere, & vel appetere infucunda & mala, vel respuere ac averfari quae bona & utilia sibi fore iudicat, sed necessitate quadam, mechanica ferri in suam utilitatem.)

§. III.

Demonstratum quoque ab aliis est, voluntatis primarias affectiones esse spem & metum, quibus actiones hominum omnes vel excitantur, vel reprimuntur. Summus Thomaeus, moralis disciplinae & naturae imprimis humanae scrutator sagacissimus, semper putat esse motibus primis affectuum imper connatam, eaque excitari affectus & appetitiones; metum vero negat connasci voluntati, sed supervenire tantum opinatur aliunde, ex impedimentis scilicet, quae spei opponuntur; itaque metum semper habere  
ipem

spem oppositam, quam deprimat, nec ullum esse metum, ubi nulla spes adsit. (\*)

§. IV.

Verum enimvero naturam voluntatis propius intuentes,prehendimus, non spem tantum ei connatam esse, sed metum etiam; utramque vero affectionem circa diversa obiecta, iis demum vel cognitis, vel tanquam grata vel ingrata apparentibus, oriri; neque metum semper spei succedere sive tempore posteriorem esse, sed saepissime adesse metum, ubi nunquam ulla spes apparuit; & contra spem saepe succedere metui. Scilicet obiecta, ut vulgo dicitur, movent sensus, & ignoti nulla cupido est. Igitur obiecta nobis aliqua re ignota, neque appetitus neque spes eius obtinendae oritur, antequam de eius conditione aliqua saltem ratione persuasimus, vel eam cognitam habeamus. Ista persuasio vel cognitio oritur experientia vel propria vel aliena. Utraque efficit, ut vel grata illa sit voluntati vel ingrata. Et natu-

\*) v. Thomaeus F. I. N. L. I. C. 2. §. 59.

#### 42 *Dissertatio III. De Origine & Natura*

fale quidem est, ut gratum voluntas appetat, ingratum aversetur. Appetitioni connata est spes (non semper obtinendi vel fruendi istius grati, hoc enim omne plerumque a casu dependet, & incertum est;) sed spes, gratum i. e. iucundam, utilem, bonum, fore usum & fruitionem eius obiecti. Et ingrato obiecto, eodem modo cognitio, oritur eius aversatio eique connatus metus, non quidem semper praesentis vel actu imminentis periculi, sed rem illam, quando illa uti, vel frui contigerit, iniucundam, acerbam, malam & nocivam futuram esse. Spes obtinendi boni & metus mali degustandi ex circumstantiis earumque cognitione vel experientia pendet, adeo, ut saepissime fluctuet animus, inter utrumque affectum incertus, num spei superfit aliquid, num periculum metuendum. Itaque pro ratione cognitionis & experientiae vel persuasionis nostrae, (sive verae sive falsae, id enim huc nihil facit,) de re aliqua nobis occurrente, tum spes oritur tum metus, eodem pro ratione circumstantiarum modo, ut neque metus semper succedat spei, sed saepe adfit, ubi primo momento vix cognitum

gnitum est obiectum, nulla unquam spe praecedente; neque spes semper appetitionem boni praecedat; itemque ut spes in avertendo malo & metus in appetendo bono & adfit & vicissim sibi succedat, & alter altera temperetur.

§. V.

Vehementiorem longe esse & efficaciorum motum voluntatis ad declinandum malum, quam ad acquirendum aliquod gratum, recte iam observavit Pufendorfius (\*); cuius rei ratio inde arcessenda videtur, quod infinita fere bona sint, & longe plura quam ad sustentationem hominum necessario requiruntur, ita ut quamvis plurima, quae concupiscit homo, non possit obtinere, alia tamen abunde superfint, tum iucunda, tum utilia ac necessaria, quibus satisfacere cupiditatibus possit. Contra vero minimum malum homini dolorem & cruciatus creare, & vel membra vel totum corpus vitamque perimere & fatale esse potest; ut mirum non sit, *longe tolerabilius haberi carere bono, ad naturae*  
con-

(\*) De O. H. & C. L. 1. C. 1. §. 14.



#### 44 *Dissertatio III. De Origine & Natura*

*conservationem non adeo necessario, in tanta scilicet copia rerum, sustinendis necessitatibus humanis a Deo creatarum; quam excipere malam, ad naturae destructionem tendens. Facile igitur quivis homo metu mali abstinet a prosequendo bono, nec tantum lubens bono caret, sed multa etiam ingrata, incommoda & mala sponte eligit, majoris mali evitandi causa; & in hoc natura voluntatis consistit, ut ipsa se cogat, sistatque & cohibeat motus suos, quam primum persuasa est de mali sibi impendentis periculo.*

#### §. VI.

Haec voluntatis natura aptam eam reddit ad suscipiendam *obligationem*, i. e. ut motibus etiam vehementissimis exortis, ad gratum aliquod obiectum acquirendum, sibi temperet, iniiciatque ferocitati cupiditatum quasi frenum, quo cursus tum exteriorum actionum tum interiorum motuum inflectitur, atque ita cohibetur, ut vel retrorsum vela det, vel impetum sistat atque suspendat, neque prosequatur actus eos, quos primis mo-

tibus

tibus suis intenderat, sed alios sibi adversos & ingratos suscipiat. Atque hoc efficit non tantum periculum mali praesentissimum, a validiore homine, vel feroci bestia, vel ruina molis, vel alio casu, capiti quasi imminens; sed metus etiam mali ex intervallo eventuri & ex actionibus nostris, ni abstineamus, pro persuasione nostra, certo secuturi & inevitabilis. Metu ergo solo reguntur tales voluntatis humanae motus, & metus itaque mali vinculum illud morale est, & verum atque unicum omnis obligationis in animo hominis principium.

§. VII.

Neque cum hac sententia pugnat, quod saepe videantur actiones intermitteri & appetitiones reprimi, impetusque cupiditatum fitti, adeoque voluntas hominis obligari, non ex metu mali, sed ex amore grati alicuius obiecti; veluti cum intuitu amici, ne forte incommodi ei simus, sponte abstinemus ab usu rei alicuius nobis alias valde gratae, & cui etiam adeo adsuevimus, ut, nisi hac sola vi amica complacentiae erga amicum co-

acti,

acti, nulla alia ratione ab ea divelli, & vix ferre nos posse hanc moderationem videamur. Quo etiam pertinet vulgare illud:

Oderunt peccare boni virtutis amore.

& praecepta Theologorum, de actionibus non tam ex metu, quam amore Numinis suscipiendis. Nam si haec omnia paulo curatius examinantur, apparebit, quae ex amore videntur omitti, actiones, alias gratissimas, nec non molestissimas quasque, sponte susceptas, non tam ex amore, quam ex metu mali vere proficisci. Tantum enim hisce casibus, amici nostri societas favorque nobis bonum videtur, ut privationem eius pro magno malo habeamus, eiusque evitandi causa ingrata quaedam & molesta tanquam longe minora mala computemus; ideoque & metu amittendi maioris boni, cuius carentia dolorem nobis maximum creat, abstinemus a consuetudine iucundi alicujus, sed longe minoris boni, vel eligimus ingratum aliquod tanquam longe minus malum, doloris, ex amici offensione nobis imminentis, tanquam maioris mali avertendi causa; non aliter atque aegrotus ad depellendum morbum & ex metu

metu mortis, remediis utitur ingratis, & eo quidem libentius, quo magis est voluptarius. Accedit, quod praesens iucunditas, qua sponte quandoque abstinemus, plerumque brevis sit & temporaria, futurum vero vel bonum, quod consequi hac abstinencia speramus, vel malum, quod metuimus, nisi abstineamus, longe maximum, diuturnum vel perpetuum fore, nobis persuadeamus.

§. VIII.

Generaliter porro animadvertendum est, nullas omnino actiones unquam ab hominibus suscipi, quae non ortum ex utilitatis propriae studio trahant, sive spe illae, sive metu, sive amore, sive odio, excitentur & regantur. Quamobrem vehementer mihi videntur & se & alios decipere piae illae & coelestes animae; illos puto, qui, cum crassioribus vehementioribusque affectibus resistunt, & ne in exteriores excessus erumpant, vel in mente nimis turbidos excitent motus, cavent, atque impedimentis vitae solitariae & tranquillae abiectis, paucis contenti vivunt, iam omnem se naturam humanam exuisse, omnem plane scitatem, ut ipsi vocant,

48 *Dissertatio III. De Origine & Natura*

cant, eiurasse, neque quicquam proprii com-  
modi causa, multo minus ex metu alicuius  
mali, sed omnia ex amore purissimo Numi-  
nis Divini agere sibi videntur & aliis videri  
volunt, cum tamen quae ex amore Dei fiunt  
revera vel ex spe summi boni consequendi,  
vel ex metu mali, quod ex privatione sum-  
mi boni proventurum est, fiant & quae-  
cunque ita aguntur, indolentiam, tranquilli-  
tatem & otium suavissimum huius vitae, &  
futuræ vitae felicitatem, omnium quae ex-  
cogitari potest maximam, pro scopo habeant  
Neque vero in hoc propriae tranquillitatis  
& felicitatis studio, quod metu privationis  
eius excitatur & nutritur, ulla reprehensio  
est; quin potius ipsam virtutis rationem in  
eo positam esse statuo. Naturam enim hu-  
manam talem creavit formavitque Deus  
T. O. M. ut omnia ad sui conservationem  
atque felicitatem referret homo; ut eam  
magis appeteret spem addidit, incitatricem  
perpetuam; ut magis averfaretur, quae eum  
infelicem reddere queunt, metum iniecit,  
monitorem efficacissimum; neque in hoc li-  
bertatem ullam homini reliquit, sed ut ne-  
cessario

cessario bonum eligeret, malum respiceret, praeferret malus bonum minori, minusque malum maiori, effecit. Haec enim si aliter se haberent, si homo indifferenter bonum vel malum eligeret, nec necessario metueret malum, nunquam aptus foret ad suscipiendam ullam vel legis Divinae vel humanae obligationem, nec ad affectus temperandos, vel ad tranquillitatem vel felicitatem veram acquirendam. Manifesto igitur & sensui communi naturaeque humanae, qualem quisque in se deprehendit, & revelationi Divinae, quae non, nisi rationibus felicitatis & infelicitatis i. e. utilitatis, move vere homines atque excitare & obligare voluit, contradicere mihi videntur, qui aliter statuunt, & hanc impugnare veritatem audent.

§. IX.

Hoc tamen dissimulari non debet, quemadmodum varia hominum ingenia sunt, & infinitae fere propensiones, ita in singulis diversam reperiri conditionem tam ipsi, quae appetitiones boni excitat, quam metus, qui mali repraesentationem comitatur. Ita

D

vi-

videas, aliquos solo neglecti decori pudore moveri; aliquos vel minimae iniucunditatis nausea; contra alios necquicquam his omnibus affici, sed pericula omnia adire, per saxa, per antra, per ignes currere, & indigna omnia pati, quaestus causa. Sunt, qui etiam, ubi nihil metuendum est, fingunt somniantque mala, fictaque magisetiam, quam quae ob oculos versantur, metuunt; sunt contra, qui somnia, terrores magicos, miracula, sagas, nocturnos lemures, portentaque Thessala rident; sunt, qui audaciores ac temerarii fortuna iuvante facti, vel ipsam mortem contemnunt inque perniciem suam, vel inani gloria vel exemplo & stupiditate ducti, ruunt. Scilicet non eadem singulis est perspicacia intellectus, non experientia eadem, non eadem persuasio de bono vel malo, nec eadem vehementia affectuum, inde nec idem metus mali. Plerique tamen in hoc omnes conveniunt: 1) quod malum e longinquo repraesentatum, & quod arte eludi & declinari posse sperant, parum morentur, praesentisque boni iucunditatem ei longe praeferant; 2) quod in tanta varietate iudiciorum de ipso malo metuendo

tuendo, ea quae vel vitam perimunt, vel corpus affligunt, & sensibiles cruciatus, doloresque vehementes creant, sola fere mala sint, quae communiter ab omnibus metuntur, & quae acerbitate sua superant omnem ex fruitione boni vel conceptam spem, vel sensus iucunditatem. Ex quo consequitur, naturaliter nullum fere alium metum, quam qui ab extremis & sensibilibus vitae corporisque malis, iisque non incertis & longinquis, sed praesentibus, vel proximis & inevitabilibus, oritur, plerosque homines afficere, neque aliter induci in animis hominum *universalem* obligationem.

§. X.

Ceterum coactionem quandam & vim patitur quidem animus hominis hac naturali obligatione, sed eam tamen ipse sibi infert, & plerumque sponte subit, plane ut aegrotus vitae servandae causa ingrata remedia lubens sumit, & ressecandum curat membrum gangraena laborans, ne reliqua pars corporis sincera trahatur. Ab ipsa igitur voluntate & ex libero hominis arbitrio proficiscitur omnis ista vis interna, quae a

D 2

metu



52 *Dissertatio III. De Origine & Natura*

metu mali animo inicitur, atque in hoc ipsa voluntatis humanae natura consistit, ut iure *naturalis* vel *interna* dici possit haec *obligatio*. Locum enim habet etiam ubi extra omnem societatem homo vivit solus; vel ubi in societate quidem vitam agit, sed a socijs sibi nihil metuit, verum a malis aliunde sibi impendentibus, veluti a morbis ex propria intemperantia generandis, & a causis atque eventibus rerum naturalibus. Saepissime vero accedit in societate aliorum hominum violentia externa validioris alicuius, vel praesenti mortis periculo intentato, vel vinculis iniectis, vel alia iniuria corpori vel membris illata; quam *obligationem externam* & adventitiam appellare possis, cuius tamen natura eadem est atque naturalis, quippe eodem modo animo se infinuat, atque voluntatem hominis movet, ut ipsa cedere atque validioris imperio se submittere malit, quam intentatum & praesens malum maximum, acerbos corporis dolores, vel ipsam mortem pati. Ex quo manifestum est, *naturalem* atque *internam obligationem* principium & fundamentum esse recipiendi *externam* & adventitiam, neque hanc quicquam efficere, nisi

nisi natura voluntatis talis esset, ut se ipsam sponte cogeret, quoties malum aliquod vere metuit; veramque adeo rationem, quod homo capax sit recipiendi obligationem, istam solam esse, quod voluntas metu mali flectatur, seque cogat, & retrahat a prosecutione boni alicuius, quod concupiverat.

## §. XI.

Ex his nunc facile erit, naturam obligationis, quae a lege intenditur, cognoscere. Vulgo legem habere vim obligandi traditur; sed Pufendorfius vim istam non in lege, sed in legislatore proprie esse statuit. Ego, neutrum recte dici, ex haecenus dictis constare puto. Fac, legem scriptam esse, publicatamque, ac notam & probe intellectam omnibus, munitam etiam sanctione poenali atque minis gravissimis. Nisi persuasum sit subditis, poenas certo certius executioni dandas esse; nisi inevitabiles eas sibi repraesentent, & actiones vetitas in continenti subsequuturas, nulla erit legis efficacia, neque legislatoris ulla auctoritas. Itaque nec in lege nec in legislatore, sed in metu mali, quod leges minitantur, quodque subditi inevitabile fore

sibi certo persuadent, proprie fita est vis obligandi subditorum animos, & eorum actiones dirigendi ad praescriptam normam. Atque hinc firmè patet ratio, quare poenae delictis ita attemperentur, (quod etiam docet Pufendorfus (\*)) ut aperte mātius malum sit, leges violasse, quam observasse; utque adeo poenae acerbitas voluptati, quae ex iniuria & facto lege vetito speratur, praeponderet. Itemque ex his, quae supra §. 9. dicta sunt, ratio apparet, cur plerumque poenae corporis afflictivae vel capitales statuuntur, tanquam extrema scilicet mala, ab omnibus universaliter metuenda; quamquam nec semper & ista ab his, qui stupidi sunt, vel qui evitare executionem poenarum se posse sperant, vel qui taedio miseriarum huius vitae mortem ipsam contemunt, uno verbo, quos *metus* harum poenarum non afficit, tanti habeantur, ut a vitis abstineant, i. e. ut obligatio in animum eorum inducatur.

## §. XII.

Cum igitur nec in lege, nec in Legislatorum

(\*) L. II. C. VII. §. 3. & C. XI. §. 7.

tore, fita fit proprie vis obligandi, multo minus pacta in se habebunt ullam; quippe destituta poenis, quibus legum autoritas firmatur. Consensus enim, quo pacta coalescunt, quemadmodum liberrimus est, & solo utilitatis propriae intuitu elicitus, ita eadem utilitate ex intervallo aliud suadente, libere tollitur; nec ulla ratio apparet, quare dissensus non idem effectus esse possit ac consensus, vel quare *velle & nolle* in arbitrio hominis non sit aequè positum, ut quod iam placuit displicere liceat postea, re aliter inspecta. Liberum enim arbitrium cuiusvis hominì a natura concessum est, maximi beneficii loco, ut quae ad felicitatem suam facere putat, & in quo se maxime beatum esse ipse sibi persuadet, ipse eligat, nunquam felix vel beatus, nisi ipse se talem esse credat. Itaque nullo accedente imperio, vel alia extrinsecus adveniente violentia, sive iusta sive iniusta, de eo quod sibi utile videtur, ipse decernit, & sibi cum alio contrahit, pro ratione utilitatis suae iam vult, iam non vult, iam consentit, iam dissentit, eandemque vicissitudinem ab altero expectat & metuit. Quin & de iniuria conqueri iuste

mihi videtur, qui extra civitatem vivit, si revocare consensum vel promissum, ex quo damnus vel incommodus sentit, ei non concedatur, sed is potius cogatur, stare promissis in suam perniciem tendentibus. An ergo, inquires, nulla pactorum fides, nulla obligatio? Nulla, inquam, naturaliter, nisi *metus* adsit *mali*, principium atque fundamentum omnis obligationis humanae unicum; metus nimirum indignationis & vindictae compaciscentis, vel metus amittendae utilitatis ex pacto cum socio redundaturae. Alia certe ratio cognita mihi non est, cur pacta extra civitatem inita servantur; quae vero in civitate fiunt, auxilio legum firman- tur, quae metum poenarum incutiunt ani- mis, atque hac ratione vim obligandi pa- ctis conciliant & adiiciunt. (\*)

DIS.

{\*} De obligatione pactorum pluribus actum est peculiari dissertatione, quae in hoc fa- sciculo, ultimo loco comparat.

DISSERTATIO IV.  
 DE  
 VERO STATU HOMI-  
 NVM NATVRALI.

§. I.

**R**ecte quidem omnino iudicat Pufendor-  
 fuis (\*) quemadmodum ad accuratam  
 legum civilium cognitionem plurimum facit,  
 statum civitatis moresque & studia civium  
 probe intellexisse, ita ad cognitionem solidam  
 iuris naturalis necessarium esse, ut natura &  
 ingenium hominum eorumque status natura-  
 lis perspiciatur. Jus enim quaerimus, quod  
 naturae humanae aptum sit, & quod to-  
 tum hominum statum naturalem regat.  
 Igitur quale ius conveniat hominibus natura-  
 liter, non nisi perspecta indole & statu eo-  
 rum naturali iudicari potest. Sed alia mihi  
 praeterea & potior huius rei ratio illa videtur,  
 quod multum conferat cognitio status na-  
 turalis ad quaestionem de existentia iuris na-  
 turalis

[\*] De O. H. & C. L. L. C. III. §. 1.

turalis diiudicandam, & prius somnino quaeri & explicari oporteat, an sint leges naturae, quam quales sint. Ex ipso vero statu hominum naturali ius nasci agnoscit Pufendorfius (\*), & hoc illud ius est, quod demum naturale iure vocari meretur, connatum scilicet hominibus, iisque competens ob id ipsum, quod in tali statu vivunt, qui ex se, necessitate quadam naturali, ius istud producit.

## §. II.

Quanquam igitur nihil intellectu facilius videatur, status naturalis hominum vera conditione; cum quod naturale est omnibus hominibus, cuius naturaliter & magis certe, quam quod aliunde advenit, cognitum esse debeat; tanta tamen inter Doctores Juris Naturalis dissensio tamque vehemens de hoc statu orta est, ut vix ulla quaestio implicatior appareat. Cuius intricationis haec causa mihi videtur, quod praecepta Juris Naturalis prius formata, atque legis nomine

[\*] de I. N. & G. L. II, C. II. §. 3. & de O. H. & C. L. II. C. I. §. 8

ne a diversis diversimode proposita sunt, quam de statu naturali cogitatum fuit, & condito primum atque efficto systemate iuris naturalis, tum demum status hominum naturalis, non qualis revera est, sed qui cum systemate cuiusque doctoris aptius conveniret, nec qualem quisque existere deprehendit, vel se habere credidit, sed qualis per suppositionem vel per fictionem, salvo systemate, concipi posset, repraesentatus est. Ita scholastici, cum rationis humanae dictamina pro legis aeternae, iustitiaeque ipsius Divinae, particulis & praeceptis venditarent, & rationem tamen hominis corruptam & miseriam statuerent, ad statum integritatis, qui fuit ante lapsum Adami, & qui in ipsis sacris literis vix tribus verbis describitur, respiciendum esse contenderunt. Contra Hobbesius, ad imperium civile despoticum stabilendum omnia sua referens, humanum statum naturalem in belluinum transformavit; quem incaute secutus Pufendorfius, & fictiones eius suis fabulis magis exornans, omnes fere iuris naturalis interpretes, sectatores suos & plerumque exscriptores, in devia seduxit, ut communis fere omnium sententia



tentia hodie fit, statum hominis naturalem esse solitarium, hominemque in statu naturali elinguem, egenum, cum fame luctantem, & adeo infelicem, ut vix miserabilius animal deprehendatur, (\*) nec ulla alia ei superfit salutis via, nisi relicto isto statu concedat in civilem, & eiurata libertate subiiciat se imperio.

### §. III.

Nos vero, reiectis omnibus fictionibus, sola natura duce, statum verum hominum naturalem indagabimus, praescindentes ab omni iure vel lege naturali, neque solliciti de eius existentia, multo minus de systemate aliquo iurisprudentiae alicuius naturalis: Id tantum praemonendum est, non quaeri de origine primi hominis, eiusque conditione, quae rationi humanae penitus incognita & ne quidem cognoscibilis est; sed de statu hominum post Aborigines, five *πρωτογονους*. Et palam est, hominem nec ex terra gigni velut fungum, nec ex coelo in hanc terram

[\*] Pufendorfius de I. N. & G. L. c. & de O. H. & C. L. I. C. III. §. 3. 4. 5.

nam demitti, vel ex puteo extrahi, sed nasci ex matre, femine virili impraegnata, inque ipso momento nativitatis non solitariū, destitutum ab omni auxilio hominum, feris brutis expositum, & ex uberibus luparum alimenta expectantem, a natura aliqua novercali protrudi, sed in societate domestica, qua non ulla arctior & magis amica fingi ab ullo humano ingenio, nec ab ulla lege magis firmari potest, non nasci tantum sed ali, nutrirī, protegi ac foveri quam sollicitissime. Ea enim vis est instinctus naturalis & parentibus erga se invicem, & erga liberos & his vicissim erga parentes inditi; tantus amor inter sexum utrumque & matris imprimis erga prolem, ut mechanicenecessitate potius servari hominem in mundum prolatum, quam auxilio hominum, videatur. Tantam curam natura ipsa non modo hominum gerit, sed omnium animantium; cum & in ferocissimis bestiis eundem vehementissimum affectum erga foetus suos deprehendamus; ut ineptum plane sit, leges hic fingere, quarum non potest unquam esse tanta efficacia, ac in ipsa iam natura omnium animalium universali reperitur.

Ma

Manifestum igitur est, hominum omnium, quotquot unquam post ortum utrumque sexum humanum fuerunt vel futuri sunt, in quacunque conditione nascantur, statum verum naturalem & originarium esse sociale.

#### §. IV.

Quod si porro attendamus ad structuram hominis physicam, originemque potentias generandi, & libidinis satiandae non tam proclivitatem, quam necessitatem mechanicam, facile intelligitur, qua ratione primum genus mortalium vel ab uno solum mare & una foemina progenitum, intra primi seculi decursum iam ex pluribus familiis constiterit, una primum viventibus, postea aucto earum numero separatas suas domus & habitationes instruentibus; atque ita naturali ratione absque ulla fictione, & origo & conditio status hominum naturalis apparet, tanquam status socialis *integrarum familiarum segregum*, quarum quaelibet ex pluribus familiis minoribus constat, societatemque peculiarem format, cuius rationes domesticae ab aliis vicinis remotioribus familiis

his separatae sunt. Atque hic verus status hominum *primævus* & *mere naturalis* est, adventitio contradistinctus. Solitarius vero quam maxime præternaturalis, & non aliter quam casu quodam accidentali & rarissimo contingens, & vix dabilis est, adeoque fundamenti loco ad superstruendam integram iuris naturalis disciplinam vel ad elicienda inde eius principia minime supponendus. Totum enim humanum genus, posteaquam auctum est, atque orbem implevit, tanquam in diversas diversi generis societates distinctum; nec homines singuli, ut solitarii, sed ut societatum naturalium membra; & integræ societates, ut segreges, & res suas sibi habentes, instar rerum publicarum & civitatum, personas morales repræsentantes, concipi debent. Qui aliud quidvis prædunt, fabulas pro veritate vendunt, nec ipsam conditionem vel rerum humanarum seriem naturalem ex simplicitate sua aestimant, sed fictionibus corrumpunt.

#### §. V.

Ut vero penitus conditionem hominum  
in

in statu isto naturali societatum cognoscamus, instinctus eorum naturalis & aptitudo ad societatem colendam considerari debent. Et supra iam notavimus, innatum liberis Parentibusque esse mutuam amorem, omnibus societatis legibus efficaciorum, & qui ipsius socialitatis principium & fundamentum est. Ex eo enim descendit primum affinitatis & cognationis vinculum & aliqua saltem in societate domestica familiaritas, mutuaque benevolentia, atque ad auxilia sibi invicem praestanda propensio, & ad colendam societatem, eiusque commune bonum promovendum, tanto maior animorum, ingenii, viriumque unio & conspiratio, quanto magis quisque persuasus est, communi bono singulorum contineri commoda. Naturali enim atque innatae huic benevolentiae accedit porro innatum utilitatis propriae studium, quod non potest non efficere, ut socialitatem quisque colat, quamdiu societatis commodis frui velit, quod sane, infirmitate status solitarii facile cuivis in oculos occurrente, ex innato metu mali non potest non semper velle. Ex quo conficitur, natura ipsa factum esse hominem socialelem

lem & ad societatem non aptum tantum, sed eius simul appetentissimum, atque pro maximo malo habiturum omnem ab humano consortio remotionem vel exclusionem, ideoque eum quam maxime naturaliter abhorere statum solitarium.

## §. V.

Sunt tamen & plurima quae infociabilem reddere videntur naturaliter hominem, & in his praecipue ipsum illud studium propriae utilitatis, quod latius iusto a plerisque & ad iniuriam aliorum saepissime extenditur; itemque dominandi aliis libido, & alia vitia, ex quibus oriuntur altercationes, odia, tumultus, caedes. Sed praeterquam quod ista rarius contingunt, ubi usus agrorum rerumque & bonorum ad sustentationem humanae vitae creatorum in societate singulis conceditur, eorumque communio introducta est, necdum a simplici vivendi ratione homines recesserunt, qui status utique primis societatibus domesticis & naturalibus proprius fuisse videtur; tantae nunquam erunt istae dissensiones, ut societates omnino tollant, vel bella perpetua singulorum contra singulos gignant; sed licet separationes quidem

E

fa-

familiarum, in primis si numerosiores factae sint, pacis causa suadere forte possint, atque ita primum ortae videantur familiae se-greges; reliquos tamen ex illis familiis, qui una vivere atque in societate manere decreverunt, posteaquam experti sunt dissensionum mala, coniunctiores futuros, & pactis mutuis in leges socialitatis consenturos, atque hac ratione varios mores, leges & coercitionis disciplinaeque varia genera sponte introducturos, speciesque varias civitatum minorum condituros fuisse credibile est, & ingenio hominum omnino conveniens. Et hoc modo naturali quodam nexu ortus ex primaevo naturali socialique statu hominum mihi videtur *secundarius & quasi adventitius*; pluribus aliis atque diversis institutis, artibus & inventis accedentibus, quibus commodiorem, cultiorem tranquillioeremque reddere conati sunt, & ex quibus tandem diversi diversarum societatum naturalium, separatim degentium, mores, ritus, artes, religiones, leges, iura, iudicia, formae etiam diversae civitatum, aliaque instituta orta esse non fingere opus est, sed reapse deprehendimus; ut vere omnino Iurisconsulti Ro-mani

mani dixerint, usu exigente & humanis necessitatibus gentes humana iura quaedam sibi constituisse atque ex hoc iure gentium omnes pene contractus introductos, emtionem & venditionem, locationem & conductionem, societatem, depositum, mutuum & alios innumerabiles; bella etiam orta esse, & captivitates secutas & servitutes, i. e. statum herilem, cuius commoda in dominos pariter ac servos ipsos redundant, multumque felicitati status societatum naturalium inferviunt.

#### §. VI.

Igitur status hominum naturalis cum *primaevus & mere talis*, tum *secundarius & proximus primaevo*, sive *adventitius*, non quidem omnibus dissensionibus & bellis vacuus, satis tamen aptus erat ad societatem continendam, vitamque singulorum hominum tranquillam, securam, commodam, iucundam, variisque artibus cultam reddendam. Atque haec omnia salva libertate & aequalitate hominum naturali & constitui & conservari potuere. Nam & in una societate paucarum familiarum & inter diversas



societates vicinas, & segreges, maioris partis coniunctio facile petulantiam & iniurias turbulentorum reprimere & coercere, bellaque exorta componere apta est; & leges quoque socialitatis, si quae necessariae videantur, mutuo consensu pactoque statui possunt, & maioris partis viribus executioni dari; ut nequaquam opus sit, ad vitam secure tranquilleque, quantum scilicet hominum ingenium patitur, transigendam, preciosissimum bonum, quod datum homini est, libertatem scilicet & aequalitatem, sponte abiicere & iugum imperii servitutisque subire, quae Philosophia est Hobbesii, fingentis, statum hominis mere naturalem esse solitarium atque miserrimum, perpetuis omnium erga omnes bellis horridum, tantam omnium rerum inopiam & egestatem, tantumque terrorem vel ex aspectu solo alterius hominis, homini suboriundum, ut securitati & conservationi hominum aliter consuli non potuerit, quam relicta libertate omnique arbitrio, iudicio, ratiocinatione, voluntate, i. e. omni humanitatis sensu eiu-rato, atque his omnibus traditis & collatis  
in

in unius hominis arbitrium; quod idem mihi videtur, ac si quis vitae conservandae studiosissimus, hostiles manus metuens, sibi ipsi mortem inferre in animum induxerit.

§. VII.

Neque opus ullis Legibus divinis videtur, ad homines in statu naturali regendos. Nam & in societate nascitur homo, & ipso instinctu naturali fit socialis, tantoque studio fertur propriae utilitatis, ut huius intuitu societatem sponte colere nunquam non velit, & ratiocinationis & ingenii virtute ipse possit sibi consulere quam optime, & pro arbitrio suo & usu & necessitate exigente legibus prospicere societati, ut nihil fingi possit praeterea, quod accedere debeat, ad maiorem socialitati vim conciliandam. Et cum longe maior efficacia sit legum humanarum in animis hominum, quam, quae finguntur, divinarum naturalium, quod alibi probavimus; superfluum omnino fuerit, homines iam aptos natos, ut legibus a se ipsis conditis tranquillitatem societatum suarum, pro cuiusvis ingenio, stabilire & conservare satis possint, alio vinculo longe laxiore, & vix sensibili, constringere velle.

## §. VIII.

Statu iste naturalis eo usque intelligendus est, quoad familiae vel segetes vel confociatae *aequalitatem* suam naturalem integram servant; nec nisi communi pacto reguntur. Simulac vero *imperium* inducitur, quo vel plures familiae uni per tyrannidem subiiciuntur vel tota societas familiaris alterius societatis iugo vi belli submittitur, tunc status incipit *civilis*, quo liberi sui que haecenus iuris & arbitrii homines & socii in servitutem rediguntur legislatoris, potestate viribusque puniendi instructi, alienamque deinde, non suam, ut antea, voluntatem in actionibus suis instituendis sequi coguntur.

## §. IX:

Ceterum diversos istos status hominum diversa *iura* sortiri ex haecenus dictis facile intelligitur. Status enim mere naturalis, vel societatis domesticae vel singulorum hominum extra omnem societatem viventium, vel integrarum societatum diversarum, solo instinctu & sensu aequitatis communi regitur; iure nimirum vere naturali, quod sequenti dissertatione fufius docebitur. Status  
fo

socialis plurimum familiarum speciem quidem induit civitatis, & socialitatis praeceptis constat, quibus prima iuris civilis principia continentur. Sed totum istud ius humanum & arbitrarium, adeoque pro cuiusque societatis ratione varium est, & *partis* constitutum, viribusque maioris partis paciscentium munitum, quibus obligatio externa inter socios introducitur. Status autem civilis a nexu imperii civilis & voluntate & *legibus personae imperantis*, vel physicae vel moralis, totus dependet.



## DISSERTATIO V.

DE

VERO IVRE HOMINVM  
NATVRALI EIVSQUE  
ORIGINE.

## §. I.

Ius verum naturale indagaturis naturam ipsam, tanquam matrem eius, & in ipso quasi actu, quo Ius producere dici potest, constitutam, intuendam esse monet Auctor dubiorum Iur. Nat. celeberrimus (\*); & recte iudicat, *rem istam nobis connatam, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti credimur, siquidem revera existat, non posse esse adeo occultam aut obscuram, ut non intelligatur facillime ab omnibus.* At tamen nil aequè involutum tenebris, implicatum dubiis, disceptatum & controversum videmus hoc ipso naturae, iure. Scilicet nemo naturam matrem, ius parientem, & in ipso quasi partu constitutam, adspici-

[\*] C. I. §. I.

ciendam vel ipse sibi esse cogitavit, vel aliis ostendit. Omnes quotquot de Iure Naturae unquam aliquid scriptis consignarunt, mores & praecepta Legesque patriae suae civiles, & religionis positivae placita prae oculis habuerunt, atque id sibi negotii esse datum crediderunt, ut pleraque iuris positivi capita reducerent ad principia universalia. Itaque hoc omne rationis opus esse opinantes, alii aliis ingeniosiores varia iuris systemata condiderunt, in hoc solum conspirantes, rationem in omnibus hominibus esse eandem, & ut haec sua principia iuris formam induant, necessum esse, praesupponi, Deum ista suae rationis dictamina tanquam leges, ab ipso vi congeniti luminis promulgatas, observandas constituisse. (\*) Igitur minime contemplati sunt naturam humanam tanquam iuris matrem, neque praegnantem neque parturientem neque partum edentem; adeoque nec verum naturae partum exceperunt, sed alium ex suo cuiusque ingenio & ratiocinatione natum ei supposuerunt; & quia ratio in singulis hominibus diversissima

re-

[\*] Pufendorf. de O. H. & C. C. I. L. I. c. 3.

reperitur, infinitos fere spurios produxerunt, quisque suum pro legitimo nobis obtrudens, alterum tanquam adulterinum damnans. Nos neque ad religionis ullius revelatae tradita, neque ad ullius reipublicae leges civiles, neque ad rationes harum legum, neque ad ulla rationis humanae dictamina, nisi quae ipso naturae humanae sensu deprehenduntur, attendentes, solam naturam humanam ducem eiusque instinctus secuturi, omnem hanc rem considerabimus. Tantam vero ei inesse perspicuitatem, tantam veritatem & quasi necessitatem putamus, ut nulla maior esse videatur mathematicis demonstrationibus. Itaque eam paucissimis proponi, absolvi & probari posse censemus.

## §. II.

Quamprimum in lucem hanc editur homo vivus ac integer, *Ius* a natura ipsa matre accipit *vivendi*. Quodsi enim homini, cui vitam natura dedit, ius vivendi non simul tributum a natura esset, & connatum, sequeretur, naturam, cum vitam ei concessit, voluisse simul, ut non viveret, quod esset contradictorium. Iure igitur connato, & in ipso

ipso momento primo vitae a natura ipsa tributae, homo accipit ius vivendi, i. e. facultatem, qua ei iure suo, non ex alieno beneficio, licet vivere, vitaeque ei iuste competit, neque ei ab alio quolibet tolli sine iniuria potest. Itaque & sibi praecipue natus est homo, non aliis, nec aliorum causa, neque alteri homini hoc intuitu, i. e. ratione iuris vivendi sibi connati, quicquam debet. Nam quod parentes, atque matrem imprimis, quae sola plerumque certa, & ad nutriendam prolem, i. e. ad conservandam eius vitam, facta est, attinet, instrumenti tantum loco censeri debent, quo mediante natura opus humani generis propagandi exequitur, quos adeo naturaliter haec cura non tangit, sed sola libido excitat, & sola nutritionis atque educationis cura liberis commendat ad gratum animum exhibendum. Ex quo consequitur, neque parentibus ius esse, prolem recens natum interficiendi, sed tali facinore utique ius vivendi, proli ex ipsa nativitate competens, laedi eique iniuriam fieri.

§. III.



## §. III.

Quia vero vita infelix & misera repentina morte longe peior est, porro sequitur, ius non tantum esse homini vivendi simpliciter, sed *vivendi bene beateque* & quam potest felicissime. Et cum varia sint hominum de felicitate iudicia, pro ingenii atque temperaturae moralis cuiusque diversitate, ita ut, quod uni bonum, utile, iucundum apparet, alter aversetur; necesse est, ut ea demum felicitas integra relinquenda cuique fit, quae cuique talis videtur, idque bonum, utile, iucundum, quod quisque suo genio convenire sentit, vel opinatur. Ex quo relinquitur, cuique homini ius esse a natura datum ut ipse statuat, non tantum de sua felicitate, sed etiam sectetur libere, quaecunque sibi convenire putat, utilia, iucunda, suavia, commoda, & quae ad vitam feliciter transigendam facere ipse sibi persuadet, atque adeo ut indulgeat omnibus voluptatibus corporis atque animi; & quoniam sibi praecipue, non alii, vivit, ut iure optimo maximo a natura tributo & connato, suam utilitatem praeferat omnium aliorum hominum utilitati.

## §. IV.

§. IV.

Haec qui negare homini vellet, nisi maximam violentiam adhiberet, frustraneam operam impenderet. Neque enim homo aliter facere per naturam suam potest, sed instinctus ei simul a natura inditi sunt adeo vehementes, ut omnem fere legum vim superent; qui omnes eo tendunt, ut suavis atque iucunda ei fit vita a natura concessa; & ut sui quisque curam potius habeat quam aliorum; & cum ne quidem in homine sit positum, hos instinctus penitus tollere, & quoties violentiam vel alius, vel ipse sibi infert, ut contra instinctus naturales agere cogatur, misere vivat, consequitur, ius esse homini connatum, vivendi secundum instinctos suos naturales, sive, ut antiqui loquuntur, *vivendi secundum naturam*; vel *naturae suae convenienter*; in quo vera demum felicitas humana consistere mihi videtur.

§. V.

Ex ipso beneficio concessae a natura vitae iurisque vivendi & quidem bene vivendi, necessario nexu oritur *ius conservandi vitam*,

&

& quaecunque eam felicem reddunt; itaque & ius utendi & fruendi omnibus rebus ad sustentationem atque commoditatem vitae humanae creatis, aliisque mediis, quae ad felicitatem vitae faciunt; quo sensu recte omnino *ius omnium in omnia* statuitur. Alma enim mater, Natura, dum animantia produxit, eaque omnia sic formavit, ut alimentis ad vitam conservandam opus haberent, simul ista largissime atque in tanta copia in medium quasi posuit, ut libertatem omnibus atque singulis concesserit, iis utendi, fruendi, eaque omnia occupandi, quaecunque quisque sibi conducere, & vel ad necessitatem, vel ad iucunditatem vitae facere putat; neque in hoc uni prae altero quicquam iuris praecipui tribuit, sed omnibus aequalia iura reliquit, id tantum sapientissime constituens, ut non omnium eadem in appetendis rebus creatis esset cupiditas, vel idem gustus, sed diversitas fere infinita, ut pax atque tranquillitas inter eos hoc iure omnibus in omnia competente minus turbaretur. Quemadmodum igitur supra dictum est, de felicitate vitae diversa esse hominum iudicia, & licere cuivis eam sectari felicitatem, quam ipse pro

pro tali habet ; ita de mediis ad finem istum ducentibus itidem cuiusvis fere hominis ab altero, dissensio est , licebitque igitur cuique de eligendis mediis eodem liberrimo iure statuere, quo in cibus & alimentis quisque gustum proprium sequitur , non alienum.

§. VI.

Si igitur cuique licet conservare vitam suam pro ingenio suo, atque adhibere omnia media quae eo facere , quaeve vitam suavem atque felicem reddere cuique videntur, utique & *ius* cuius competit, *tuendi ac defendendi vitam*, corpus scilicet, membra, res industria sua acquisitas, & vel ad nutritionem & alimenta necessarias, vel ad commoditatem & iucunditatem utiles. Quodsi enim aliqua legis necessitas seu obligatio adesset, qua quis pati deberet, ea, quae ad usum vitae sibi comparavit, a quovis iterum sibi eripi, ipsa conservatio vitae suae tolleretur, & ipsum denique ius vivendi, quod tamen cuius homini aequaliter a natura concessum est. Relinquitur igitur, ut cuius homini a natura tributa sit *inviolabilitas*

*litas* atque *ius* se ab omni vi & laesione, atque ab iniuriis omnibus vindicandi.

§. VII.

Ex hoc vero iure necessaria consecutione descendit *ius belli*, cuius homini connatum, sive a natura tributum, quod nil aliud intelligitur, quam ius defendendi vitam suam, membra sua, res atque bona sua; uno verbo, inviolabilitatem asserendi, etiam cum caede alterius. Nisi enim haec eousque licita forent, modestior quisque ludibrio esset aggressori & invasori cuius pertinaci, importuno & feroci. Violentiam enim alterius & iniurias omnes patienter ferre, vel cuius spoliato cedere, idem in effectu est, ac ipsum ius conservandi vitam suam deserere. Necessario igitur & cuius homini a natura concessum intelligitur *ius utendi viribus corporis & animi*, ad suam defensionem & conservationem. Quod si igitur in bello iusto, i. e. ubi quis ab iniuriis se tuetur, validior atque robustior rem habeat cum imbecilliore, iuste is utique robore suo atque virium praestantia; itemque astutior contra stupidiorum vel incautum dolo atque

atque infidiis iuste utitur; ad repellendam scilicet iniuriam, vel periculum, vitae suae, membris, atque rebus, ad sui conservacionem utilibus & necessariis, imminens. Itaque non vi tantum, sed dolo etiam repellere vim licet. Ceterum quoniam caedes, malorum omnium extremum, iusto in bello iusta est, multo magis licet eo usque profequi invasorem, donec laesio reparata, damnum refarcitum & satis etiam in futurum ab eius iniuriis cautum laesio videatur; qua de re infra §. 14. pluribus dicetur.

### §. VIII.

Atque in omnibus his iudicio uniuscuiusque proprio standum erit. *Liberos* enim omnes & singulos homines ab aliorum hominum imperio natura creavit, & *independentes*, sibi aequales ratione iurium conatorum, ut nemo servire alteri, nemo alieno arbitrio vivere debeat, sed quilibet ex proprio ingenio & ex sua sententia actiones suas instituendi, & illud sequendi ius habeat, quod iustum sibi videtur; quocum *ius impunitatis* coniunctum est, sive libertatis ab omni poena humana, quippe quae propria

F

non

non dicitur, nisi de iis, qui superioris alicuius imperio subiecti sunt. Huius aequalitatis naturalis fundamentum non in viribus nocendi positum est, ut putat Hobbesius, (\*) in his enim manifesta reperitur inaequalitas; sed in aequali sorte nascendi, & in iure vivendi, non huic vel illi praecipue & prae altero, sed singulis aequaliter competente, a quo beneficio communi & aequali vitae iurisque vivendi cum dependeant omnia iura haecenus recensita, consequitur, eadem omnibus aequae connata, & ab ipsa natura aequaliter concessa esse.

### §. IX.

Quae haecenus dicta sunt, satis manifeste ostendunt ortum & nativitatem iuris naturalis, eiusque summa capita. Nunc eius indolem atque affectiones & effectus reliquos penitius scrutari atque evolvere operae pretium erit. Et primo quidem illud in oculos incurrit, iura haec connata ea significatione sumi, qua *facultatem* hominis notant, *licite* aliquid agendi, atque *ius & iustum*

[\*] De Cive C. I. §. 3.

*Sum hoc sensu nil aliud esse, quam licitum; five ut Grotius loquitur (\*) Ius hic nil aliud, quam quod iustum est, significat, idque negante magis sensu, quam aiente, ut ius sit, quod iniustum non est. Haec vero nativa & originaria, propria, certa & princeps Iuris acceptio est, ex qua demum oritur alia impropria, & secundaria, qua pro lege sumitur. Neque enim, ut recte observat Hobbesius (\*\*\*) iuris nomine aliud significatur, quam libertas, quam quisque habet, facultatibus naturalibus secundum rectam rationem utendi: quod explicatius docet Cocceius his verbis: (\*) Omnis de iure quaestio eo refertur quid licitum sit? Id enim ius dicimus. Homines autem potentiis agendi a natura instructi licite agunt vel omittunt, quicquid possunt; donec aliquis, qui prohibere recte potest, prohibeat aliquid agi vel omitti: quo illud tum illicitum fit & iniustum dicitur. In qua, proinde quaestione duo distincta sunt:*

[\*] De I. B. & P. L. I. C. I. §. 3. n. 1.

(\*\*) De Cive C. I. §. 7.

(\*) Paucul. & generaliff. positiones iuris Gentium.



*sunt: 1) Facultas illa naturalis agendi, quae quatenus non apparet rite prohibita vel restricta, est facultas legitima, & idem, quod vulgo dicitur, ius concessivum. 2) Prohibitio eius, qui rite prohibere & terminos facultati huic ponere potest, quod vulgo dicitur ius praeceptivum. Ex illa libertas; ex hac necessitas agendi vel non agendi seu obligatio nascitur.*

## §: X.

An igitur *obligatio* nulla inest iuri libertatis & facultatis naturalis? An omnis obligatio ex lege tantum nascitur? Et illud utique certum videtur, ius pro facultate acceptum nullam ei, cui competit, proprie imponere necessitatem, ut illud exerceat. Est enim ius libertatis atque licentiae, cui repugnat omnis coactio. Et est porro inter iura connata praecipuum illud, ut pro arbitrio suo, non alieno, actiones suas quilibet instituat, quod iterum respuit omnem obligationem aliam, quam quae naturalis est, & ex instinctu naturali, metu sc. mali, sponte oritur, de qua hoc loco non quaerimus, quia illa liberi arbitrii pars est

est. Igitur puto licere, pro arbitrio & iu-  
bitu, iure connato uti vel non uti, quin  
& omnino ei renunciare, & talem condi-  
tionem subire, quae tollat omnem huius  
iuris usum; veluti qui ius venandi habet,  
libere quidem venatur, quodcumque velit,  
sed non obligatur, ut actu venationem  
exerceat, neque sibi facit iniuriam, si nun-  
quam exercet, quia volens abstinet; imo  
plane se iure isto abdicare poterit. Ita, quin  
homini liceat, libertatis iura omnia repu-  
diare, atque sub imperium civile concedere,  
seque iuri vitae ac necis alterius hominis  
subiicere, nemo dubitat, qui hanc plero-  
rumque hominum praesentem conditionem  
intuetur. Nec dubium mihi videtur, idem  
ipfi licere in propriam vitam, siue probabile  
eius periculum adeat, veluti miles, nauta  
&c. siue repente eam abrumpat, taedio eius  
& miseriarum impatientia. Licet enim  
contra instinctum naturalem, quo vitam  
suam quisque carissimam habet, mortemque,  
tanquam omnium malorum maximum, ab-  
horret, agere isti videantur, revera tamen  
non agunt, sed fame vel maiori vi coacti,  
vel longae & diuturnioris miseriae evitandae

vel finiendae causa, eo ruunt, mortemque ipsam, tanquam minus malum, miserae atque infelici vitae praeferunt, quod instinctui communi hominum non est adversum, sed omnino convenit. Quoniam igitur in his omnibus volens, & pro arbitrio homo agit, sequitur sibi *iniuriam* non inferre; (volenti enim non fit iniuria) neque dari *iniustam* actionem hominis erga se ipsum.

## §. XI.

Aliud tamen dicendum esse de actionibus hominum erga alios, inviolabilitas unicuique aequali iure a natura tributa, iubet, quae id efficit, ut omnibus aequaliter necessitas imposita sit, iura aliorum connata integra atque illaesa relinquendi, quia alias homo, natura inviolabilis factus, laedi iuste posset, essetque violabilis, quod sine manifesta contradictione dici non potest. Accedit *sensus aequitatis* cuius homini inditus a natura, ortus ex agnitione aequalitatis & inviolabilitatis, quo quisque alterius iura laedens, in se ipso sentit, se alteri iniuriam facere, metuitque vindicaturum alterum iniurias sibi illatas, hocque metu movetur atque obli-

obligatur naturali instinctu, ad reparationem iniuriae, ut alibi latius demonstravimus. Atque haec interna persuasio & convictio inviolabilitatis, cuius homini aequaliter competentis, iste sensus internus aequitatis, eique accedens metus vindictae laesi, ortus ex proprii ingenii sensu, quod in omni homine a natura factum est impatiens iniuriae, verum & adaequatum fundamentum est obligationis mutuae hominum, & naturalis, de non laedendo alio, atque regulae aequitatis decantatissimae: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; qua totum ius naturae, quod vulgo in praeceptis ponunt, nititur & absolvitur. Itaque ex iure naturali proprie sic dicto, quod licitum significat, & connatum est, iuris obligatorii naturalis origo manifeste descendit. Ex inviolabilitate enim, omnibus hominibus aequo iure connata, sequitur, omnibus aequae impositam esse a natura obligationem, adeoque non tantum libertatem sed simul necessitatem connatam esse. Eadem natura, mater iuris concessivi, quae libertatis iura tribuit, haec ipsa limitat, restringit, atque ipso be-

neficio inviolabilitatis simul obligationem inducit, metuque mali, vindictae scilicet laesi, quasi sanctione poenali, firmat, & haec omnia non verbis, vel scriptis, sed intimo sensu animi publicat, insinuat, infigit omni homini tam firmiter, ut nunquam ullam ignorantiam vel errorem praetendere possit, quippe proprio sensu aequitatis semper convincendus; quae sane tanta est, tamque efficax praeceptio, quantam nulla unquam lex proprie sic dicta producere posse videtur. Itaque mirum non est, instinctus hosce naturae, omnium hominum mentibus inhaerentes, & aequitatis naturalis insita principia, pro legibus naturae proprie sic dictis habita fuisse ab incautis, indeque integrum systema Jurisprudenticae legalis, erroneis & inadaequatis principiis plerumque superstructum, formatum fuisse. Adeo cum lege proprie sic dicta conveniunt omnia, quae animis omnium hominum natura provida indidit, ad inviolabiles homines reddendos, iniuriasque omnes inter illos cohibendas, atque tranquillitatem, incolumitatem, felicitatemque eorum stabiliendam. Quanquam negari non possit, omnem istam obligationem,

nem, quantacunque demum sit, fat validam non esse, ut homines omnes a laesione omni absterreat; quippe a solo *metu vindictae laesi* pendet, quae insuper habetur a robustiore, quoties ei cum solo imbecilliore res est. In qua tamen re agnoscere licet naturae benignitatem, quae homines non, ut automata, necessario motu agentes, sed ut *liberos & proprio arbitrio* quasvis suas actiones instituturos, formare voluit; iisque porro indidit *ratiocinationem*, qua ipsimet poenis severioribus & terrorem magis incutientibus, in societatibus suis, tam naturalibus quam adventitiis, inviolabilitatem suam, a natura sic praemunitam, magis sancire atque firmare pro suo quisque arbitrio possent, quae deinde legum humanarum origo fuit, quarum potissima cura & finis primarius est, inviolabilitatem hanc servare integram.

### §. XIII.

Ex hoc fonte iuris naturalis praecipit, praecipito scilicet inviolabilitatis, hominibus simul cum beneficio libertatis iniuncto, secundaria praecipita reliqua huius iuris rivorum instar facillime deduci poterunt, ea nempe

ratione, ut iura hominibus connata & a natura ipsa tributa, pro regula praeceptorum sint; eaque omnia comprehensa atque firmata praecepto hoc primario atque fundamentalis inviolabilitatis intelligantur; adeoque prohibita sint, quaecumque vitam atque felicitatem vitae & bona alterius, aequalitatem, ius in omnes res creatas &c. laedunt; quae omnia cum a plerisque iuris naturalis doctoribus, vera licet scaturigine ignorata, plena manu exhibita sint, nos iam praetermittimus; hoc tantum indagaturi, qua ratione ius belli, hominibus naturaliter concessum, itemque ius omnium in omnia, cum inviolabilitatis praecepto conciliari possint, & quibus limitibus utrumque ius temperatum sit?

### §. XIII.

Quod igitur ad *ius belli* attinet, repetendum est ex superioribus, quemlibet sibi praecipue natum esse, atque cuivis competere ius vitam suam praeferendi vitae alterius, si quidem casus acciderit, quo utraque servari nequeat. Itaque dubium nullum est, licere cuique vitam suam & corporis

ris sui incolumitatem defendere, etiam cum caede alterius, neque inviolabilitatem hominibus concessam obtinere, quo minus quisque corpus & vitam suam contra violatores iuste tueatur. Est enim in beneficio illo naturali, praeferendi vitam suam alterius vitae, ius cuique suum praecipuum, atque potius & superius omnibus aliorum iuribus; itaque & praefertur iuri inviolabilitatis alterius & inde resultanti praecepto. Neque refert, an casu aliquo fortuito, veluti in naufragio, an culpa vel dolo & iniuria alterius collidantur haec iura aequalia; quia cuilibet ius suum praecipuum est, se potius servare, sui que curam habere, prae alio. Itaque his casibus, quibus alterutri vitae periculum imminet, ius defensionis vel cum caede alterius, i. e. ius belli competit cuique; neque isti casus praecepto inviolabilitatis continentur. Ista tamen omnis quae pro *vita* hominis & corpore integro servando tributa est a natura praerogativa, non aequae pro reliquis *bonis*, nisi ea ad vitam sustentandam necessaria sint, concessa esse videtur. Salvam enim & inviolabilem voluisse naturam praestare vitam hominum, ex ipso nascendi



nascendi beneficio colligitur; de rebus occupandis, utendisque & retinendis tantam curam naturae non fuisse ex eo apparet, quia multis rebus creatis salva sua vita & incolumitate carere homo facile potest. Itaque & ius defendendi bona occupata, quibus ad vitae necessitates non egemus, sed quae ad luxum tantum faciunt, & superflua sunt, tributum quidem a natura esse; sed ad caedem usque hominis, qui a natura factus est inviolabilis, se non extendere, mihi quidem videtur. Quo ipso tamen non omnia bella, quae retinendorum bonorum causa geruntur, damnaverim. Plerumque enim contentiones de bonis primum exortae, animis rixantium exacerbatis, vitae periculum contrahunt, quo exorto non tam de bonis, quam de vita certatur, iustoque bello locus datur. Neque etiam in bello iusto hosti in hostem omnia licere, ut vulgo quidem traditur, puto. Omne enim ius belli defensionis causa concessum est, quae si obtineri potest absque laesione alterius, utique ab illa abstinendum est, neque nisi in extremo necessitatis casu, ubi aliter vita salva esse nequit, ad caedem alterius provolare, in-

vio-

violabilitatis praeceptum permittit; & si his casibus caedes ipsa iusta est, crudelitas tamen & saevitia in hostem nunquam iusta haberi potest, quia illa ad defensionem vitae nihil facit. Denique & tantum mihi videtur inviolabilitatis beneficium, ut in bello iniusto, etiam cuivis aggressori & laedenti in tantum concessum videatur, ut in eo nulla obligatio sit, ut vitam sibi eripi patiatur. Quanquam enim qui iniuriam alteri facit, tanquam poenam in se provocat, & iustam agnoscit vindictam laesi, quippe cui ius repellendi iniurias omnes concessum a natura est; & quanquam is, qui iure suo utitur, nemini iniuriam facit; neque ius inviolabilitatis laeditur, neque iniuria fit, quoties laeditur is, qui primus alterum laesit; ius tamen omnibus hominibus conatum, vitam suam praeferendi alterius vitae, eximium privilegium est, sub praecepto inviolabilitatis non comprehensum, sed illo validius, adeo, ut ius quidem fit laeso in bello iusto, i. e. ubi de vitae periculo agitur, interficere hostem; huic vero obligatio non imposta, ut se interfici patiatur, sed ex concessio illo privilegio praecipuo, quo-

quoties de vita sua agitur, illam aequè ac innocens vel fuga servare, vel defendere ad extremum usque, & si aliter eam salvare non poterit, etiam cum caede laesi possit. Quemadmodum & captivo & servo, belli sorte in servitutem redacto, quavis occasione fuga sese liberandi ius esse puto.

## §. XIV.

*De iure omnium in omnia*, quae moventur dubia, minus difficultatis habere videntur. Putat Hobbesius, effectum huius iuris eundem pene esse, ac si nullum omnino ius extiterit. Quanquam enim, ait quis, de  
 „ re omni poterat dicere, hoc meum est;  
 „ frui tamen ea non poterat, propter vicinum, qui aequali iure & aequali vi praetendebat idem esse suum. Cum igitur  
 „ alter iure invadit, alter iure resistit, non  
 „ possunt non oriri omnium adversus omnes  
 „ perpetuae suspiciones, & studium, &  
 „ quoniam naturalis omnibus hominibus  
 „ inest proclivitas, ad se mutuo laceffendum, negari non posse videtur, ex iure  
 „ omnium in omnia, nasci bellum omnium in omnes. Haec Philosophia Hobbesiana est,

est, ad commendandum statum civilem ex ingenio potius quam ex rei veritate efficta. Ius enim omnium in omnia nihil aliud significat, quam facultatem occupandi omnes res creatas, quae ad sustentationem hominis ad vitam commode transigendam faciunt, & quae nondum occupatae sunt ab alio. Nam ex ipsa aequalitate naturali quae Hobbesio excitare bellum omnium in omnes visa est, intelligitur simul omnibus hominibus aequaliter imposita a natura necessitas, ea, quae alter iure suo naturali iam occupavit, integra & intacta relinquendi, & aliis aequae praestandi, quae sibi praestari quisque cupit, quaeque aequaliter alteri, ac sibi competunt, ac iuste acquiruntur. Deinde neque possibile neque necessarium est, universas res creatas occupari ab uno homine; neque habendi cupido, quanta quanta sit, tanta est in ullo; & supra iam notavimus, abundantissime provisum esse, non humano tantum generi, sed omnibus animantibus, copia omnium rerum, quibus ad necessitates suas, & ad commoditates & luxuriam quoque opus habere possint; quorundam etiam usus in exhaustus est; & tanta

ta porro in singulis hominibus deprehenditur gustus differentia & gulæ diversitas, ut eadem non semper appetantur à singulis, & si in idem genus rei alicuius creatæ necessitate naturæ ferantur, illud uberrime productum à natura, & usibus communibus expositum reperitur. Igitur falsum est, de omni re quemvis posse dicere, hoc meum est, & aequè falsum, frui neminem posse re, quæ per occupationem sua facta est, propter vicinum; quippe qui prætereundum quidem potest aequale ius in res nondum occupatas, in eas verò, quæ iam factæ sunt alterius, minime; neque alter iure invadit nisi res, ab altero nondum suas factas; neque alter iure resistit, nisi in rebus iam occupatis, de quibus nempe solis dicere potest: hoc meum est. In civitatibus de meo & tuo perpetuæ quidem suspiciones & studium omnium adversus omnes vigere experimur, sed in statu naturali vix ullum casum contentions de usu rerum ad vitæ necessitates inservientium dabilem esse puto, adeoque & collisionem præcepti inviolabilitatis, cum iure omnium in omnia vix metuendam esse. Sed demus, duos vel plures circa eandem rem occupandam

dam, quae ad sustentationem cuiusque aequae necessaria fit, (de superfluis enim bello, i. e. ad caedem usque dimicandi, inviolabilitatis praeceptum non permittere, iam dictum est §. praec.) concurrere; tum demum dici potest, iure alterum sibi vindicare, alterum iure resistere, utrumque iustum bellum gerere atque validiorem iure conato viribus uti, ad praeripiendam alteri rem litigiosam.

§. XV.

Atque ista tandem ratione ius verum naturale & originem omnis iuris divini & humani ex ipsa hominis natura eruisse nobis videtur, atque executi esse id, quod celeberrimus Dubiorum Iuris Naturae auctor toties desideravit. Scilicet ius istud omne ex universali eruditorum opinione pro dictamine *rationis* habitum & in sola ratione latere creditum hactenus fuit; quo factum est, ut diversae de eo sententiae, diverso artificio, speciose atque ingeniose effictae, longa argumentationum serie & operosa disputatione contra dissentientes pugnacissime defensae, atque sic condita sint tot diuersa sibi que contraria de hoc iure systemata, ut nihil minus, quam

G

ius

ius aliquod naturale, i. e. natura notum, vel universale, i. e. ab omnibus pro vero agnitum, in iis deprehendere liceat. Nos relicto isto errore primario, solam humanam naturam intuentes, nihil admittimus nisi quod *sensu* interno, qui *communis* est atque con-  
natus omnibus hominibus, percipitur; hac demum via, nisi fallimur, consecuti ius vere naturale, quod in animo cuiusvis hominis sentitur, quodque non potest ab ullo homine dubium reddi, nec nisi cum tota hominis natura mutari vel tolli.

#### §. XVI.

Caeterum ex dictis satis liquet, totum ius naturae, tum id, quod proprie ita dicitur, connatum scilicet, & concessivum, tum illud quod praecepto constat, & ex obligatione oritur, tum etiam omnia iura ab hominibus constituta, ad *utilitatem* hominum directe & principaliter comparata esse, ex eaque omnem mensuram capere, & verissimum igitur esse, quod a plerisque negari solet, ius omne naturale & humanum ex utilitate ortum esse; quod cum alias iam a nobis monitum, fufius autem a magno Gassendo explicatum fit, brevibus tantum hic monuisse sufficiat.

DIS-

DISSERTATIO VI.  
DE  
OBLIGATIONE PACTORVM.

§. I.

**N**um pacta in se vim obligandi habeant? num ea tantum, quae *συνάλλαγμα* continent? & unde obligatio pactorum oritur? disputatum est a longo tempore inter eruditissimos viros. Et tanti momenti hoc argumentum habetur, ut pactorum fide consistere, eaque sublata collabescere omnishumana societas, & mutui commercii vinculum tolli plerisque videatur. Qui Hobbesum sequuntur, omnem iuris efficaciam patris tribuunt, qua evanescente iustitiae inane nomen superesse putant. In hoc igitur contentiunt omnes, pacta naturali iure esse obligatoria; sed in hoc dissident, a quonam momento incipiat & pendeat obligatio, & in quo illa consistat? Controversiam omnem exposuit Grotius de I. B. & P. L. II. C. XI. cui sua debet Pufendorfius, & omnes fere recentiores Iuris Nat. Doctores, quorum tra-

G \*

dita



dita neque transcribere, neque operose examinare vacat. Aliquas tantum observationes, ex propria meditatione subnatas, in medium proferemus, illustrandae huic materiae fortasse haud inutiles futuras.

### §. II.

Et id quidem primo probari video ab omnibus & sine haesitatione tanquam indubium supponi; ex consensu, quo pacta coalescunt, oriri vim illam obligandi, de qua quaerimus. Etsi enim Grotius tres gradus consentiendi sollicitè distinguat, neque omni consensui, qui in promissionibus intervenit, sed illi tantum, quo ius proprium alteri conferimus & a nobis quasi alienatum in alium transferimus, vim obligandi tribuat, manifestum tamen est, eo ipso agnoscere Grotium efficaciam consensus. Pufendorfius autem (\*) nullam propiorem rationem inveniri posse putat, quare quis de onere implendi promissi sustinendo recte conqueri nequeat, quam quia in illud ultro *consensit*, suoque sibi *arbitrio* accesserit, quod repudiare penes ipsum erat. Qua ratione vero *consensus*

ob-

[\*] De I. N. & G. L. III. c. VI. §. 1. & de O. H. & C. L. I. C. IX. §. 8.

obligationis vim continere, ac in animum hominis inducere poſſit, neuter docet, quia forte inter primas, ut vocant, veritates indemonſtrabiles & certiffimas, nec ab ullo homine ſanae rationis in dubium vocandas, referri debere aſſertionem ſuam crediderunt; quod tamen ideo ſaltem neceſſarium cuique videri poterat, quia, niſi haec exacte dilucidentur, nulla ratio apparet, quare conſenſus in ſecundo gradu promiſſionis (quae Grotio pollicitatio dicitur, qua nempe voluntas ſeipſam ſerio determinat, cum ſigno ſufficiente ad indicandam perfeverandi in hac ſeria voluntate neceſſitatem) non eandem efficaciam habeat, atque conſenſus tertii gradus, quo ius alteri conferimus. In utroque enim gradu promiſſionis aequè perfectus adeſt conſenſus, & neceſſitas ſuſcepta perfeverandi eadem. Neque ratio ulla differentiae concipi poteſt, quare in ſecundo gradu conſenſum liberum, & omni modo perfectum, revocare liceat, in tertio gradu vero non aequè.

### §. III.

Igitur ad diſcutiendam hanc quaestionem, an conſenſus unquam ulla vis ſit obligandi?

natura *consensus humani* scrutari debet. Et primo illud certum videtur, consensum neque solius voluntatis neque solius intellectus operationem esse, sed utriusque, & magis tamen voluntatis. Monitum enim iam est a summis viris, Titio (\*) atque Thomasio (\*\*\*) voluntatem & intellectum non ita distinctas a se facultates esse, ut una semper agat sine altera; sed intellectum voluntati semper adhaerere, neque unquam agere voluntatem, nisi intellectu concomitante. Cum autem voluntas proprie fons sit actionum humanarum, eique quasi consiliarii loco inserviat ratio; cumque voluntas nunquam afficiatur, vel moveatur, nisi spe boni consequendi, vel metu mali avertendi; manifestum est, omnem consensus vel dissensus rationem in utilitate positam esse, & omnem hominem consentire in aliquid ideo, quia commodum ipsi illud videtur, & dissentire rursus ob eam rationem, quia incommodum inde metuit. Et omnis mutabilitas voluntatis humanae ex eo oritur, quod diversimode subinde rem considerat; & nunc  
uti-

[\*] Observ. ad Pufend. de O. H. & C. 13. n. 3.

[\*\*] F. I. N. & G. L. I. C. I. §. 35. seqq.

utilem ſibi fore ſperat , nunc rationibus aliter ſubductis metuit malum inde oriturum. Qua in re minime reprehendendus mihi homo videtur. Nam cum externae rerum circumſtantiae ex cauſis fortuitis & improvifis ſaeppiſſime in horas & in minima temporis momenta varient , & quae nunc conducibilia apparebant , paulo poſt aliam faciem induant ; ſtultum omnino foret , ſententiam non mutare & enthufiaſmo Stoico affectare conſtantiae laudem , & pro bono eligere malum , ideo , quia ſemel tanquam bonum placuit , & eo tempore quo bonum erat , vel bonum eſſe videbatur , *conſenſu* noſtro *ultroneo* illud elegeramus , licet nunc mutatis rerum circumſtantiis , vel re omni exactius perpenſa , damnum inde nobis imminere manifeſto deprehendamus. Potius igitur *inconſtantia humana* hiſce caſibus inter virtutes ponenda & conſtantia ad glaucomata Ethica larvataque vitia releganda videtur.

#### §. IV.

Cum alibi demonſtratum ſit , iure optimo maximo naturae , quemvis hominem utilitatem propriam ſectari , & ſuo proprio arbitrio vivere , conſequitur , eodem iure

G 4

eundem

eundem *consentire*, quoties commodum ex aliqua re sperat, & rursus *dissentire*, quoties incommodum metuit. Nec refert, consensum forte praecessisse, postea secutum esse dissensum. Si qua enim consensui inest efficacia iuris, eadem & dissensui tribuenda erit; cum nulla ratio persuadeat, magis licere consentire in bonum aliquod consequendum, quam non consentire in malum quod metuitur. Dissensus certe eadem ratio est ac consensus; & idem utriusque vis & effectus; est in neutro talis, ut homo obligetur ad perseverandum in priori sententia, mutatis circumstantiis, vel re aliter inspecta. Quocumque igitur tempore incommodum ex re aliqua sentimus vel metuimus, iure nobis licebit, illud avertere, quanquam prius aliter forte de re ista iudicauerimus. Neque alter ex priori nostro consensu ius acquirere potest, ut eidem sententiae, quae nobis erronea postea videtur, stulte inhaeamus, & contra utilitatem nostram scientes agamus, damnumque proprium, quae certe maxima stultitia est, eligamus; sed omnino iura alterius connata violat, quicumque pertinaciter contendit, alterum cum damno suo teneri

neri pactum continuare vel implere; & ipſe Pufendorſius alicubi (\*) fatetur, non ſervari debere promiſſa, quae illi, cui fiunt, noxae ſint futura; cum naturali lege prohibitum ſit, ne quis alteri, etiam ſtolide volenti, malum inferat.

§. V.

Porro ex natura obligationis facile oſtendi poteſt, eam non ineſſe pacto, ita ut nolentes etiam cogat. Contra naturam enim humanam eſt, velle proprium malum, & conſentire in rebus ſibi noxiis. Qua ratione igitur animo hominis, ſi ab aliqua re abhorret, ulla obligatio ſe inſinuet? Inane vocabulum eſt obligationis, quae animum hominis non afficit. Nulla igitur naturalis obligatio poſſibilis eſt, nec *conſensus* ad perſeuerandum in eadem ſententia, cum malum inde metuimus, nec *diſſensus*, poſtquam meliora edocti agnoſcimus, bonum eſſe quod mali loco ante habebamus. Et cum ne lex quidem civilis in ſe vim habeat obligandi, quod alibi demonſtravimus, multo

mi-

(\*) De I. N. & G. l. 3. c. 7. §. 6. & de O. H. & C. l. 1. c. 9. §. 18.

minus pactum inter aequales ullam in se ipso vim obligandi continebit. Quod igitur pacta servantur ab hominibus, non ea ratio est, quod ullam eorum sentiant in animo suo vim obligandi, etiam ubi nolunt servare; sed quod utilitatem ex pactis spectent, vel damnum metuant, si ab illis recedant. Contingere enim potest, ut damnum quidem sentiamus ex pacto, sed ut maius malum metuendum sit, si ab eo resiliamus; itaque tali casu pactum servamus, non quod ei vis infit obligandi, sed ex metu maioris mali; quo evanescente, pactum flocci habemus; & incommodo atque onere eius nos liberamus. Ut adeo quod de lege dicitur, inanem eam esse sine poenis, de pactis non minus verum sit, ea inania esse, nisi vel utilitate continua & reciproca vel terrore sustineantur.

#### §. VI.

Haec omnia vera esse in iis pactis, quae unilateralia & gratuita vocantur, & in illis etiam in quibus *συνάλλαγμα* intervenit, sed ubi res adhuc integra est, sive ubi a neutra parte aliquid praestitum, plerique forsitan concedent. Sed si iam inceptum est pactum

im-

impleri ab alterutro paciſcentium , aliud ſane dicendum erit. Ex aequalitate enim & independentia naturali, qua nemo alteri gratis praestare quicquam tenetur , ſequitur, alterum , cui quid praestitum vel datum est, illud neutquam, ut debitum ſibi tribuere poſſe, ſed ſi pactum mutuae praestationis interceſſit, illud tamdiu tanquam indebitum, neque ad ſe pertinens agnoſcere debere, donec vel reſtituerit rem ſibi datam , cum omni cauſa, vel reciproce praestiterit ea, quae promiſit. Omni modo enim cavendum eſſe, ne vel ludibrio habeatur alter, vel ullo damno afficiatur , praceptum iuris naturalis de non laedendo altero & regula aequitatis naturalis exigit. Itaque pacta , quae mutuam praestationem continent , & quae iam ab uno paciſcentium coepta ſunt impleri, alterum omnino obligant, ſed non ex propria vi obligandi , quae pactis ipſis inſit, ſed ex pracepto , quod prohibet alterum laedere. Omnis ergo pactorum obligatio huc redit, ut quemadmodum in univerſum non licet alterum laedere verbis , factis , directe, indirecte, committendo , omittendo , ita conſequenter , nec pactis & promiſſionibus, laedendus ſit.

§. VII.



## §. VII.

Cum igitur pacta ſervanda ſint; non propter ſe, quaſi iſtis inſit efficacia ad obligandum, ſed propter præceptum de non lædendo altero; porro ſequitur, non præciſe paciſcentes obligari ad præſtandum, quod promiſſum eſt, nec ad continuandum pactum, ſed liberari præſtando id quod intereſt. Eadem enim regula æquitatis, quæ monet, ut alterum non lædamus pacto, me quoque tutum ab omni damno reddit, quod ex pacto mihi imminet. Quodſi igitur pactum nimis oneroſum eſt, & noxium, ſummo iure licet ab eo recedere; modo id curem, ne alter lædatur, & præſtem omne id quod intereſt, ne iſ ullum exinde damnum ſentiat. Tum enim alter non habet, quod queratur, & ſalva regula illa æquitatis naturalis, a me contendere non poteſt, ut cum perpetuo damno meo, pacti fidem religioſe colendo, commoda eius promoveam.

F I N I S.